

1719.

ANNALIUM
PROVINCIAE
S. JOSEPHI
Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS
Redemptionis Captivorum.

LIBER IX.
SYNOPSIS.

Paucorum captivorum extra ordinem Redemptione Domus nostra Belgradi firmatur: sequitur paulò post occasione Magnæ ad Portam Ottomannicam Cæsarea Legationis undecima copiosa captivorum Redemptio: impetratur subinde facultas in ea Constantinopolitanae urbis parte, quæ Pera dicitur, Ordinis Domum sive Residentiam instituendi: præcedit Constantinopolis brevis descriptio. Sacrum Redemptionis Institutum ab Achmete III. Turcarum Sultano duplici Diplomate munitur. In Tartariam Budziakensem altera pars ejusdem Redemptionis dirigitur & absolvitur, multis Parvulis ac minorenibus, quos Tartari superiore bello in Hungaria & Transilvania in captivitatem abstraxerant, redemptis. Agriæ, Comaromii & Tyrnaviae in eadem Hungaria pro struendis Cœnobiis, & Carolinae in Transilvania pro ædificanda Ecclesia Primi Lapidés Fundamentales solemniter collocantur. Obit Augustissima ELEONORA MAGDALENA THERESIA Imperatrix, in Ordinem nostrum singulariter munifica. Hanc quoque ad æternam requiem sequitur P. Josephus a Jesu Maria vir optimè meritus, & propagandæ Religionis studiosissimus in ipso Generalis Commissarii Officio peregrè defunctus & sepultus.

CAPUT I.

Undecim captivorum militum Zworniki apud Turcas in Bosnia liberatio proximæ secuturæ Magnæ Redemptioni præludit, & Belgradi Domum Ordinis firmiores reddit.

I.



Nnum ingredimur Divinæ cum Genere Humano Reconciliationis millesimum septingentesimum undevigesimum secundis successibūs feracem, gestisque memorabilem. Theatrum rerum gerendarum Bosnia aperuit, in cuius limitaneo Præsidio,

Eeeeeeee

Zwör-

Dulcinenses
cum Turcis
agunt de ven-
ditione man-
cipiorum.

1719. *Zwornik* dicto, undecim attinebantur captivi milites e diversis Cœfareis Legionibus. Hos inter Castrensis Tubicen erat, ante ferē sesqui annum cum sociis ex prælio ad servitutis jugum, ipsa morte multò acerbius, retractus. Sub idem tempus transigebant Turcæ cum Dulcinensibus pyratis de eorundem ad transtra venditione, sors, quā miseris Christianis captivis non poterat accidere calamitosior. Enimverò illi, ut intellexerunt, quid Turcæ molientur, ad nuncium ferale cohorruerunt: rogârunt idcircò Turcas, ne tractatus cum gente, cuius nota erat in mancipia crudelitas, conficerent, polliciti, se operam datus, ut ab amicis & conciibus suis æquiore pretio redimantur: neque difficile id fore asserebant, dummodo uni eorum potestas fieret Belgradum, urbem Zworniko haud longè remotam, adeundi, & de impendente periculo milites, aliósque Christianos edocendi, a quibus se facilè moderatum lytrum corrogatuos considerent. Precibus addiderunt gemitus & obtestationes. Emoliverunt tandem hīs feroce Barbarorum animos. Hinc sive quòd supplicum misererentur, sive quòd majoris lucri spe se lactarent, annuerunt denique, ut captivus Tubicen, qui erat ex Legione Babocziana, in Societate duorum Janissarorum Belgradum accederet, ibique pro sua, suorūmque commilitonum redemptione opem efflagitaret.

Belgadi cum nostris conficitur negotium.

II. Tubicen cum duobus Janissaris Belgradum delatus eminùs ad justam distantiam ante urbis portas constitit, ac sonoro clangore præfidiarios milites ad colloquium evocavit: isti verò ubi e mœnibus Turcas conspexerunt, excitis ad novitatem sociis quid agendum consultârunt. Res ad Odwirium urbis Præfectum defertur, qui protinus aliquot milites Turcis in occursum misit, ut ex eis intelligeret, cuius rei causâ huc adventassent. Faciunt illi, quod jussi fuerant, & ad Turcas egressi quærunt, quid hic loci vellent? Tubicen Oratoris munere functus partes suas gnaviter explevit, & in quo statu res suæ, suorūmque sociorum versarentur, luculento sermone exposuit. Odwirio id ipsum confessim significatur, qui ut vidit, nihil doli aut fraudis subesse, Tubicinem quidem ad præsidium admisit, Janissaros verò interim sub custodia teneri jussit. Rebūs omnibūs ex serie intellectis calamitate miserorum commotus P. Joannem a S. Agnête Belgradensis Domūs nostræ Præsidem accersivit, ut de modo redimendi præsentes captivos cum eo consultaret. Huic itaque ad colloquium admisso proposuit, adesse nunc optimam occasionem de Imperatore benè merendi, & Trinitarii Ordinis claritatem augendi, si nostri hos miseros captivos nunc a Turcis redimerent. Pater eti lubentî animo conditionem admitteret, significavit tamen, se in modernis Domūs principiis cum summa conflictari pauperie, promisit nihilominus se effecturum, ut P. Redemptor lytrum quantocyus suppeditet. Ab Odwirio digressus Viennam e vestigio scripsit, Patrique Redemptori totum hujus rei statum aperuit. Respondit ille confessim, mutuas suo nomine acciperet pecunias, quotquot ad redemptionem horum captivorum necessarias putaret, se proximè Belgradum venturum

&

*Dulcinium
apud veteres
Olcinianum.*

*Captivi alii
vertunt tra-
ctatus.*

& contracta nomina parato ære expuncturum. Actutum Pater a Derlingscrono ac Venero, quorum alter Cæsareorum reddituum, Cameræ vocant, Inspector, hic Cæsareus Orientalium linguarum Interpres erat, mutuò acceptis pecuniis, quæ præsentis negotio conficiendo suffecturæ videbantur, obtentisque ab Odwirio publici commeatus litteris die vigesima mensis Martii Zwornikum profectus est, ubi continuò dictos Cæsareos milites a Turcis mille nongentis nonaginta & octo florenis redemit, ac Belgradum non sine maximo omnium solatio liberos adduxit. Unus horum undecim captivorum, priusquam Pater Zwornikum pervenisset, clanculum inventa oportunitate, ad terras Christianorum transfugit, quem & Turcæ sibi solvi contendebant, securus pro nullo se lytrum admissuros præfractè asseverabant: quidquid autem Pater in contrarium niteretur, nihil profecit; ne igitur re infecta rediret, & ob unius fugam cæteri decem in jugo servitutis remanerent, omnes undecim persolvere fuit necesse. Erant autem cum Tubicine tres e Legione Babocziana, tres alii e Nadaffiana, unus ex veteri Lotharingica, alter e Lerchenfeldiana Bavaria, duo ex nationali Hungarica, hos Haidones vocant, quotum unus, ut diximus, profugerat.

III. Cæterum hac in necessitate promptitudo præsertim affectit Odwirii animum, qui inter cæteras relationes hoc quoque factum Bellico consilio Viennam perscripsit, tanta omnium approbatione, & Ordinis nostri commendatione auditum, ut idem Bellicum Consilium in suis responsoriis litteris Odwirio Patres Trinitarios singulariter commendaverit, illique injunxerit, eos modis omnibus fovere.

1719.

Captivi redi-
muntur.Qui fuerint
illi captivi.Fæci pro-
ptitudo com-
mendata.

C A P U T II.

Occasione Magnæ ad Ottomannicam Portam Legationis Undecima captivorum Redemptio Constantinopolim dirigitur.

I. Postquam internecina bella, ut paulò superiùs indicavimus, quæ Aulam Cæsaream cum Porta Ottomannica cruentissimis odiis commiserant, in optatam Pacem desissent, splendida ultro, citrōque decreta fuit Legatio. Damianus Hugo Comes Virmondtius, Vir, præter insignem rerum gerendarum dexteritatem, belli ac pacis artibüs clarus Constantinopolim ad Ottomannam Portam Magnus Legatus designatur, post biennale numerum cum Turcis bellum primus Caduceator. Nostris hæc occasio copiosæ Redemptionis certam, ut evenit, spem injectit; velut etiam tribūs jam vicibüs in hujusmodi Legationibus propriâ experientiâ didicerant. Hanc itaque quartam occasionem in serie nullatenus negligendam rati cum facultatibus, quæ ad liberandos captivos pertinent, rationes iniverunt: subductiscalculis tanta summa prodivit, ut firmiter confiderent, se uberes fructus horreis Domini illatueros, præcipue, si Cæsareæ Legationis Auctoritas, ut

Magnæ Lega-
tio spem facit
copiosæ Redem-
ptionis.

Eeeeeeee 2

pru-

1719.
Redemptio
publicatus,

Interpres.

Magnus Lega-
tio[nis] ad Au-
gustam Viennen-
sem ingressus

P. Redemptor
se in viam di-
sponit.

prudenter sperare licebat, suos conatus fulciret. Igitur ad hujus anni principium pridie Idū Januarii per Diaria Viennensia, seu novellarum ephemerides celeriter per omnes vicinas regiones futura Christianorum captivorum Redemptio publicatur: monentur universi, ut, si quis notos, amicos, vel consanguineos haberet, qui in Turcarum servitutem incidissent, eorum nomen, patrem, ætatem, conditionem, atque alia signa P. Redemptori Viennam transmittenet, dатuro pro viribus operam, ut liberi ad suos reducantur. Sequenti die Dominica Divini Verbi Præcones id ipsum per omnes Ecclesias e suggestu annunciarunt. Plurimi suorum nomina conferunt: annotantur inquirendi; fuere quoque nonnulli, qui Christianæ charitatis ardore succensi largam stipem in hanc captivorum Redemptionem contribuerent. Carolus Nitschold, Silesius, ante aliquot annos a nostris in Tartaria redemptus, tunc verò Wratislaviæ ad Collegiatam S. Crucis Ecclesiam Tubicen, idiomatis Turcici & Tartarici gnarus, se ipsum P. Redemptori ad munus Interpretis sponte obtulit. Admissus ad hoc officium paulò post Viennam pervenit, alterò interim cum facultate dictæ Ecclesiæ substitutò, qui in ejus absentia Tubicinis partes expleret.

II. Ad sextam & vigesimam mensis Aprilis productus est Viennæ magnificentissimâ pompa Cæsareæ Legationis ingressus, eo prorsus ordine ac splendore, quô Constantinopolî erat ostendens, tota propemodùm urbe ad plenum Majestatis spectaculum effusa. P. Josephus a JESU Maria captivorum Redemptor in expeditionis societatem adlegerat sibi P. Andream a S. Gertrude, quorum uterque Legationi in ipso Cæsareæ Aulæ ingressu privatim sese adjunxerat; religiosæ siquidem modestiæ memores abstinuerunt a publico per urbem incessu: nihilominus tamen post Magnum Legatum reliquos inter nobiles ad Augustæ manus basium admissi fuerunt. Inde digressi, cùm ad Augustissimam ELISABETHAM CHRISTINAM Imperatricem venissent, illa post oblatam ad osculum dextram Magno Legato Redemptionem captivorum magnoperè protegendarum efficacissimis verbis commendavit. Idipsum peractum est apud Imperatrices ELEONORAM MAGDALENAM Matrem & AMALIAM WILHELMINAM viduam, atque apud Serenissimas LEOPOLDI & JOSEPHI Augustorum Filias Archi-Duces.

III. Nostri domum reversi ad proximum discessum cætera disposuerunt, fratrem Dionysium a S. Michaële, aetivam vitam professum, ad domestica officia obeunda in societatem itineris adscientes. Die decima sexta Maji P. Redemptor cum suis sodalibus post dictum Religiosæ Communitati in Templo solemne Vale cum hominibus & rebus suis ad ripam Danubii se contulit, sibi que paratam navim occupavit, in qua etiam sequentem noctem exegit. Altera die circa quartam pomeridianam Excellentissimus Legatus ad classem venit, consensaque præatoria navî non multò post cum toto suo comitatu inter tubarum & tympanorum magnificum clangorem bono ordine a litore solvit, & per applaudentes

dentes æquabili fluxu undas Danubii, cuius geminas ripas innumerabilis hominum multitudo ad plures horas obfederat, iter est auspicatus. Duæ & septuaginta erant naves (non computatis cymbis minoribus) quæ Magnæ Legationi Belgradum deportandæ inserviebant. Et hæ quidem omnes eleganti structuræ superbiebant, Prætoria tamen, quæ Magnus Legatus cum præcipua Legationis nobilitate vehebatur, inter cæteras magnificentiam eminuit; variis siquidem coloribus auróque picta Aquilam aureo vellere circumdatam, altero pede aurato globo terrestri insistentem, altero minacia fulmina stringentem in puppi, in prora verò Jovem duabus Syrenibus cinctum ostentabat, & variegatâ formâ suâ omnium oculos ad se rapiebat. Per crispantes itaque undas Danubii proventi vesperæ Vischamundæ substiterunt, ac deinde oppidum ingressi assignata hospitia incoluerunt. Vix tecta subiverant, dum effusus nimbus inter horrissonos tonitruum fragores terram omnem latè inundavit. In bonum id omen acceptum est, quasi cœlum ipsum huic itineri faveret, quod non prius gravidas nubes exonerare voluit, donec universa Legatio sub tectis constituta infantientis tempestatis furorem securè despiceret; quin & serotinus imber fitientes jam dudum agros fœcundavit. Postridie seniore cœlo iter continuârunt, & circa meridiem Posonium apulerunt. Eò delati, cùm navis Prætoria in conspectum urbis venisset, murales machinæ per circuitum mœnium festivo boater intonuèrent. Ut tota classis fluminis litora tenuit, Excellen-tissimus Nicolaus Palfius totius Hungariæ Pro-Rex, Palatinum Regni vocant, cum Episcopis, Magnatibus, aliisque Nobilibus in occursum Legati properavit, & salutationis officiis perfunctus Magnum Oratorem, & præcipuos quosque Legationis comites præparatis in hunc finem curribus ad suas ædes perduxit, illósque ibidem opiparo prandio admovit. Nostri verò ad Cœnobium fratrum suorum diverterunt, & ab iis magna hilaritate excepti fuerunt.

IV. Sequenti die relictō Posoniō Comaromium navigârunt, in ipso discessu rursus triplici tormentorum explosione honorati. Comaromium, interamne Præsidium, die vigesima ejusdem mensis Maii a meridie applicuerunt; eâdem qua Posonii pompâ excepti, nisi quod invitatō loci Præfectō in navi Prætoria prandere libuerit. Remotis mensis alii dum celeberrimum Hungariæ, & invictum haec tenus Christianitatis Præsidium lustrant, Magnus Legatus longiorem in navi sessionem deambulatione temperaturus cum paucis comitibus ad Ordinis nostri Cœnobium progressus, ibidem viridarium, quod amplissimum est, inter Pomonæ ac frondium umbras permeabat P. Redemptore & Conventū Præside ad colloquium adhibitus. Inclinante ad occasum sole, æstuque remittente ad Classem omnes reversi noctem in navibus transegerunt, & tertiâ post mediam noctem horâ inter festivos muralium machinarum plausus Comaromiō moverunt; qui eis deinceps honor constanter Strigonii, Budæ, Petri-Varadini & Belgradi tam in accessu, quam discessu exhibitus fuit.

F f f f f f f f

V. Tri-

1719.

Naves 70,

Prætoria n. vis.

Vischamundæ magna tempe-stas.

Posonium.

Comaromi-um.

M. Legatus ad nostros dicitur.

1719.
Belgradum
perveniunt.

Festum SSS.
TRINITA-
TIS Legatus
apud nos
celebrat.

V. Trigesima die Maii circa meridiem Belgradum proiecti ibidem aliquamdiu substiterunt; conducenda siquidem erat ingens vis curruum & plaustrorum ad tot impedimenta Constantinopolim deportanda, quò eis deinceps itinere terrestri tendendum erat. Incidit interea ad diem quartam Junii Festum Sanctissimae TRINITATIS, Ordinis nostri solemnissimum, in quo Magnus Orator cum tota nobilitate, quam in suo Comitatu habebat, ad Templum nostrum se contulit. Reverendissimus Ernestus e Comitibus de Schrattenbach Ordinis S. Benedicti Abbas Dombensis, in Magna Legatione Sacrorum Præses, Legationis Musicis exquisitè symphoniam admodulantibus ad aras operatus est. Hæc functio eò majorem omnium plausum retulit, quia primum fuit sacrificium, quod post duo ferè sæcula Belgradi solemnè pompà & splendore celebrari contigit. Sacrum cantatum excepit facunda de rebus Divinis panegyris a quodam Sacerdote Societatis Iesu, qui in idiomate Germanico non minore eloquentia, quam pietate universos ad morum emendationem & ferventem Sanctissimæ TRINITATIS cultum inflammavit.

VI. Accelerantur exinde omnia, quæ ad proximam utriusque Imperii Legatorum permutationem pertinere videbantur: decimâ Junii Magnus Orator Belgradô discessit, & postquam undarum favore *Krozkam* appulisset, indè navibus valere iussis terrestri itinere per Kollaram, Jagodinam, & Barakinum Cæsarea oppida, quarta demum die, id est decima quinta Junii, ad tres illas columnas pervenit, quæ in limite utriusque Imperii erectæ Legatorum permutationi destinatae erant, quæ ingenti splendore transactâ Nostri, Aquilâ non sinè felici omni prævolante & viam quasi Constantinopolim designante, *Raschnam* contenderunt, Turcæ vero converso itinere Barakinum perrexerunt. Raschnæ die decima sexta ejusdem mensis Junii ad montis radicem nostri subsistentes, ibidem ante meridiem duplicum terræ motum observârunt, quorum alter tanto impetu humum concussit, ut onerata etiam plaustralocô moverit. Ad decimam nonam solempni apparatu Nissam, quod est Limitaneum Turcarum Præsidium, ingressa Magna Legatio, quia locus epidemica lue infectus dicebatur, bost brevem moram ad sua castra redivit. Sequenti luce indè moventes post laboriosam novem dierum trans montes viam tandem Sophiam, Regiam olim Bulgarorum, attigerunt. Kalendis Quintilis resumpto itinere novendiali rursus profectio per deserta plerumque & solitaria loca Philippopolim pervenerunt, quam tamen urbem non sunt ingressi, pestis in ea grassantis metu absterriti. Philippopolî die decima Julii moverunt, & ad decimam octavam ejusdem mensis Adrianopolim splendido apparatu intrârunt, ibique totô triduô ab itineris lassitudine corpora recreavere. Tandem pridie Kalendis Sextilis in conspectum Constantinopolis delati extra urbem castra metati sunt, quam deinde tertia die mensis incredibili pompâ & magnificentiâ subierunt, tantò gratiore Turcarum spectaculo, quantò invisus hactenus Germanicarum vestium cultus, quo nemo Cæsareorum Oratorum ante Virmondium un-

1719

unquam usus fuerat, prurientes Barbarorum oculos violentius ad se pertraxerat, & fascinô quodam dementatos tenaciùs sibi adstrinxerat. Solemni ingressu peracto tentoria sua rursus repetierunt, in quibus, dum illi duobus ferè mensibus hærent, nos interea famigeratissimam hanc urbem cursim perlustrabimus, & quidquid memoriâ dignum invenerimus, succinctô calamô anotabimus.

C A P U T III. Descriptio Constantinopolis.

I. **B**YZANTIUM sive Constantinopolis urbs, quam S. Joannes Chrysostomus *Magnam civitatem, ac totius Orbis Metropolim* appellat, duabûs prærogativis cæteras hujus mundi urbes præcellit; portûs nimirum securitate, ac sitûs præstantia, de quibus singillatim inferius loquemur. Hanc urbem antiquissimam Plinius anteà *Lygos* esse dictam affirmat, vero simile est, sub hoc nomine ab hostibus destructam in veterem desuisse solitudinem: postea a Byzante Duce Megarenium apud Græcos & Romanos Byzantii nomen diu obtinuit. A Pausania Rege Lacedæmoniorum conditam fuisse auctor est Justinus, quem plerique secuti sunt recentiores; id verò perperam ab eis asseri notat Grævius in castigationibus ad Justinum, quod Byzas ducentis quinquaginta annis ante Pausaniam floruerit. Stephanus etiam Byzantinus disertè testatur, Megarenses post ædificatam Chalcedonem Byzantium extruxisse. Eustathius in Dionysii vers. 804. his idem verbis asserit: *Byzas Dux fuit Megarenium Clavis, qui etiam Byzantium condiderunt.* Quibus & suffragatur Marcianus sequentibus: *Deinde est Megarenium fortunatorum Byzantium.* Fortunatos autem idcirco appellavit, ut eos a Chalcedonensibus discerneret, qui hujus loci opportunitate neglecta in adversa ripa magnô suô malo sedes locârunt; pelamydes enim pisces sive thynni, ut testis locuples est Strabo, *Postquam Cyaneas transierint, & ex ripa Chalcedonia albicans occurrit petra quædam, tantus bestiis ipsis terror incutitur, ut vestigio in ulteriore convertantur ripam.* Quas cum præceps aquarum cursus corripiat, & innata locorum aptitudo maris fluxu ad Byzantium cornuque Byzantii deflectat, & eo naturæ impetu propellat, copiosum Byzantini populoque Romano suppeditat proventum. At enim Chalcedonii in ulteriore propè consistentes litore, in nullam ejus ubertatis communionem accedunt, quoniam ad eorum portu, ne una quidem pelamys se applicat. Hinc etiam Byzas Megarensis Clavis Praefectus, a quo urbs nomen accepit, cum ædificata jam Chalcedone novam in alias terras Megarenium coloniam ducere constituisset, ac propterea oraculum Apollinis Delphici pro illius temporis more, sive vitio consuluisset, hoc tulit responsum: ut ex adverso cæcorum sedes locaret; cæcos enim ideo Chalcedonios vocabat, quod cum ipsis priores ad ea loca navigassent, relicta tamen locuplete ripa sterrile litus habitandum elegerint. Et hæc quidem de origine hujus urbis comperta habemus.

Origo Byzantii.

Plinius lib. 4.
cap. 11. apud
Cellarium in
notitia orbis
antiqui lib. 2.
cap. 15. pag.
1318.
Justinus lib.
9. cap. 1.

Stephanus Byza-
ntinus.
Eustathius.

Marcianus in
Periegesi sub
finem.

Strabo lib. 7.
Geograph. pag.
221.

Oraculum By-
zanti datum.

1719.

Constantini
Magni propo-
situm & molli-
men.

Nova Roma.

Constantino-
polis postea
dicta.

Septem Mon-
tes.

Quatuorde-
cim Regiones.

Situs Urbis.

Portus.

II. Sequentibūs temporibūs cūm Parthi & Persae assiduis excursionibūs Romanum Imperium infestarent, Constantinus Magnus Imperator, ut iis eoērcendis e propinquo invigilaret, statuit Imperii sedem Ilium sive Trojam, aut in aliam Asiae urbem transferre; sed in somno admonitus, ut Byzantii propositum suum exequeretur, exploratā loci opportunitate haud gravatè acquievit. Dirutis itaque veteris Byzantii reliquiis novam urbem e fundamentis excitavit, eāmque congeftis ex toto propemodū orbe aliarum urbium spoliis adeò ornavit, ut deorum domicilium dicetur. In hac autem structura Constantinus id maximè spectatur, ut totam veteris Romæ magnificentiam, formāmque huc transferret, unde & novæ Romæ nomen ei indidit, a quo tota vicina Regio hucusque Romania audit. Prævaluit demum aliorum suffragium, & in honorem Constantini conditoris Constantinopolis dicta fuit. Constantinus proinde, ut urbs Veteris Romæ speciem præseferret, septem montes mœnibūs circumplexus est: ædificavit Capitolium, Circum & Amphitheatrum, urbem in quatuordecim Regiones divisit. Prima continebat arcem Acropolim pro defensione portūs excitatam, in cuius locum hodie Turcici Imperatoris palatum successit. Secunda Templum S. Sophiæ, Zeusiippi thermas, aliisque complura splendida ædifica ostentabat. Hippodromus, sive Circus Maximus, Templum S. Euphemiae, & Palatum S. Pulcheriae tertiam occupabant. In quarta Constantini Palatum superbiebat. Quintam & sextam ingens ille Obeliscus & Constantini statua, columnæ porphyreticae innixa, mirifice decorabant. Septimam nobilitabant templum Anastasi & columna Theodosii Magni, quō locō hodie forum maximum, Bezzstan Turcis dictum, consistit. Octava Capitolium & Templum Theodosii ambiebat. Nonam Arcadii palatum & thermæ Anastasi ornabant. Thermæ Constantini, Eudoxiæ Imperatricis Palatum, & Basilica S. Acacii in decima consurgebant. Undecima Templum Sanctorum Apostolorum, quod hodie fanum Mahometis II. appellatur, in suo gremio continebat. Duodecimam Columna & Statua Arcadii Imperatoris in monte Xerolopho illustrabat. Decima tertia ex altero portūs litore Justinianæ celebri urbi sedem præbuit, quæ hodie mutato scheme Galatæ ac Peræ nomen habet. Decima quarta suburbia omnia in se complectebatur.

III. Porrò situs hujus Urbis est omnium totius mundi amœnissimus & commodissimus; sedet enim Constantinopolis ceu Regina inter duo maria ad fauces Bosphori Thracii, unde in oppositam Asiae oram dimidiæ horæ trajectu perveniri potest. Ad dexteram Propontide sive mari Marmoreo alluitur, quod commercia Asiae & Africæ ad hanc urbem allicit. Ad sinistram Pontum Euxinum respicit, in cuius undis merces Septentrionales Constantinopolim defluunt. Utrumque mare Euripus puidam, Bosphorus Thracius dictus, connectit, qui in Septentrionali urbis latere terram perrumpens in continentem se effundit, eique tutissimum portum prætendit, cujus ambitus sex millaria Germanica complecti dici-

dicitur, suaque latitudine unum milliare Italicum adaequat. Hunc portum, quem communiter Canalem vocant, natura absque ullo artis adminiculô efformavit, dotavitque tali fundo, ut maximæ etiam naves citra ullum periculum ubique litori appropinquare possint.

1719.

IV. Forma urbis est triquetra, cuius Meridionale latus Pro-
pontidis fluetibûs tunditur; Septentrioile verò portu cingitur, Oc-
cidentale continentem attingit. Bosphorus ei ad Orientem ob-
versus solum Magni Sultani Palatum, extremam nimirum Civitatis cuspidem, alluit. Quod si nunc huic situi munitio, ad hodier-
næ ætatis architecturam exacta, accederet, nihil sanè hac urbe mu-
nitius inveniri posset: verùm Turcæ, qui se ad vastitatem orbi
terrarum inferendam natos putant, adeò munitionis curam negli-
gunt, ut veteres muri, turresque multis jam locis vitium faciant,
& ne paucorum quidem militum assulti perferendo, pares sint;
cingitur tamen etiamnum qualibuscunque muris a priscis Impera-
toribus Constantinopolitanis extructis, quibus variæ turres qua-
dratæ, aut octogonæ formæ inhærent, & speciem potius sive um-
bram alicujus munitionis præseferunt, quam ut urbem verè muni-
tam efficiant. Par est Turcarum incuria in ædibus extruendis; eæ
siquidem angustis, luteis & declivibus plateis incubantes ex argil-
la ferè & ligno componuntur, sic, ut neque pulchra intus, neque
munita foris Civitas dici possit: ipsa deinde forma domuum ad
similitudinem cavearum, quibus bestiæ includuntur, propius quam
ad hominum habitacula accedit; nihilominus tamen hæ domuni-
culæ tot inquinis scatent, ut obfessi sint omnes earum anguli, &
in uno sèpius cubiculo, ac sub eodem tecto plures familiæ degant;
ut proinde hodierna Constantinopolis nihil aliud sit, quam con-
fusa farrago innumerabilium gurgustiorum & sordidorum maga-
liorum congeries. Cæterum structuræ, quæ circa maris ripas
consurgunt, augustiorem nonnihil formam præseferunt.

V. Fora mercibus vendendis destinata, & a Turcis Bezelstan compellata, in hac urbe multa reperiuntur, a cæteris tamen ædifi-
ciis sejuncta, & instar arcium muris præaltis cincta. In his prin-
cipem locum obtinet illud, quod in Occidentali urbis parte posi-
tum ingentis civitatis speciem præsefert. Universa autem ferreis
portis noctu, aut quoties opus est, clauduntur; quamvis enim de
die ementium & vendentium incredibili frequentia affluant, noctu
tamen non incoluntur, sed singulæ pergulae seris vectibuscunque mu-
niuntur: has nocturni excubitores assidue circumveunt, tum ut
ignium discrimini occurant, si quod forte ex vicinia immineat,
tum ut fures & clancularios prædones aut deterreant, aut capiant,
qui interdum mirâ audaciâ muros illos transcendere, & officinis
mercatorum vim inferre pertant. Forum autem illud, in quo
mancipia veneunt, locus est haud procul ab Arcadii columna re-
motus, formâ quadratâ constructus, ingenti portâ clausus, ac de-
nique inferius oblonga columnarum serie, superius verò diversis
pergulis instructus. Sub his columnis centum circiter cubicula
reperiuntur, in quibus nobiliora mancipia, & imprimis elegantior

Porta mercatorum
rum.Forum man-
cipiorum ve-
naliuum.

1719. **sexus asservatur.** Hæc mancipia diebūs nundinarum apertis cubicolorum ostiis publico conspectui exponuntur: cæteri autem vulgaris sortis captivi ante fores in scamno sedent, aut circumducuntur per forum præeunte præcone, & mancipii pretium proclamante, pro quo labore e singulis centenis sive aureis, sive imperialibus duos recipit. Præco talis nonnunquam duo, tria, quatuorve mancipia, strophis inter se colligata, dicit, quæ plus offrentri venduntur. Reperiuntur ibi ex omnibus Nationibus captivi; lachrymis autem dignum spectaculum est videre tot homines æternæ plerumque servituti destinatos, quos Barbari ad durissimos labores, sordidissima munia, & siepe etiam ad gravissima peccata adhibent.

Septem Tur-
res.

VI. Inter alia porrò Constantinopolitanæ urbis ædificia singularem nominis celebritatem obtinent septem Turres, quæ in extrema civitatis parte ad Propontidem sitæ hodie carceres agunt toto orbe vulgatissimos. Hæ quidem numerò sunt octo, prioribus namque septem a Græcorum Imperatoribus ædificatis, Turcæ octavam minoris molis adjecerunt, nihilominus tamen septem Turrium appellationem hucusque constanter retinent. Plumbō omnes æqualiter teguntur, & protensis muris inter se sunt connectæ, ita ut faciem peculiaris cujusdam urbeculæ præseferant, præcipue cùm intra spatum illud, septem hisce Turribus clausum, multæ ædes incolis frequentes consurgant, & peculiare fānum pro usu hominum, ibidem habitantium, reperiatur. Sultani hic solùm captivi asservantur, id est, egregii belli duces & militares præfecti Christianorum, nullo ære aut pretiō redimendi, nisi pace firmata in libertatem afferantur. Gradus, quibūs ad Turres ascenditur, caliginosi sunt, nec adiri aliter possunt, quam facibūs accensis. Carceres ibidem constructi bifariam dividuntur; alii enim sub terra sunt effossi, alii intra parietem excavati, omnes tamen belluarum spelæis simillimi, centum prætereà claustris ac repagulis muniti, ut nullus fugæ locus supersit. Permititur tamen interdum quibusdam captivis, ut de die per aream liberè ambulare, inter se colloqui, legere, si liber suppetat, ac scribere possint, noctu tamen ad suas speluncas retruduntur. Unde Militares Christianorum Præfecti, qui a Turcis capti Constantinopolim pertrahuntur, ad solam septem Turrium memoriā cohorescunt, & ne liberi quidem illas sine terrore aspicerē possunt.

*Ecclesia S.
Mathiae Apo-
stoli.*

VII. Haud procul ab hisce septem Turribus in fine civitatis Ecclesia conspicitur, quæ a S. Mathia Apostolo nomen habet, licet in eadem Ecclesia nullum altare eidem Sancto dedicatum reperiatur, imò nec ejusdem effigies. Majus altare imaginem Sanctissimæ TRINITATIS in linteo piëtam refert, tribus ulnis longam, & duabūs aliquantò latiorem. In primo facello representatur super aram Salutatio Angelica sive Virginis Annuntiatio: secundum facellum in suo altari iterum exhibit Mysterium Sanctissimæ TRINITATIS. Nihil in hac tota Ecclesia reperire licet, quod antiquitatem spiret, cùm integrum ædificium ex ligno con-

constet, præter unum facellum in fine Ecclesiæ e regione majoris altaris, antiquissimæ ex muro structuræ, in cuius altari opere vermiculato ex variis coloris lapillis ultima Cœna Domini, quam CHRISTUS ante Passionem suam cum Discipulis habuit, repræsentatur. In media hujus Sacelli parte Crux eminet simillima nostræ Familiae Discalceatæ, quamvis ejus colores ob nimiam vetustatem ægrè discerni valeant. Hæc Ecclesia servit modernis temporib[us] ritui Armenorum, qui examinati fatebantur, eam antiquis a Sanctissima TRINITATE nuncupatam, & a Religiosis ejusdem tituli possessam fuisse. Asseverarunt præterea iidem Armeni, stetisse ibidem aliud Sacellum Sanctissimæ TRINITATIS, ac in eo duos Sanctos Patriarchas nostros depictos fuisse, quod Sacellum non ante multos annos Armenorum Patriarcha murō claudi curavit, ne cujuspiam amplius conspectui pateret. Hæc ex literis a nostris Constantinopoli datis die 10. Augusti anno 1736. didicimus. Docemur autem aliunde a Georgio Cardoso in suo Hagiologio Lusitanæ, quod facta unione Græcorum cum Ecclesia Latina tempore Eugenii IV. Summi Pontificis, & Joannis Palæologi, Orientalis Imperatoris in Concilio Florentino anno 1439. post biennium Joannes, cognomento Theobaldus, Major ac Generalis Ordinis Trinitarii Minister, in serie decimus octavus, aliquot Ordinis sui alumnos collegerit, eosque anno 1441. Constantinopolim miserit, ita potentibus ipsis Constantinopolitanis; cum enim Amurathes Turcarum Imperator, Adrianopolim & omnem latè viciniam in suam potestatem redegisset, ac jam oculos expugnandæ Constantinopoli adjecisset, plurimosque Christianos captivos in servitutem traxisset, nostri, ut eos a captivitate, libarent, Constantinopolim vocati venerunt, suoque munere haud segniter functi fuerunt. Cæterum post mortem Amurathis Turcarum Tyranni Græci, magno metu exempti, rescissis prioris Unionis actibus in schisma relapsi sunt: ast brevi inconstantiae suæ poenas dederunt; nam anno 1450. successit Amurathi Mahometes II. Turcarum Imperator, & infensissimus Christiani Nominis hostis, qui anno 1453. post duorum ferè mensium oblidionem die 29. Maji Constantinopolim expugnavit, & promiscuâ lanienâ omnes urbis incolas immaniter trucidavit. Ex nostris (ut idem refert Cardosus) aliqui sagittis petiti, quidam decollati, aliis acinace capita divisa sunt, alii aliis tormentorum generibus interempti, omnes cum ingenti fortitudine consecuti sunt triumphum, quos plures scriptores non ambigunt Beatorum Martyrum laureâ condecorare. Quorundam adhuc nomina memorantur, eorum præsertim, qui primi Constantinopolim missi fuerunt, sunt autem ex Lusitanis eodem referente Cardoso & aliis: Fr. Dominicus a Sanctissima TRINITATE. Fr. Casparus Studillo. Fr. Rodericus Novaez. Fr. Simon a Jesu. Fr. Ambrosius Freixo. Fr. Joannes de Strada. Fr. Damianus a Castro. Fr. Antonius Calderon. Fr. Petrus a S. Augustino. Ex Hispanis recensentur alter Antonius Calderon. Fr. Ludovicus Fernandez. Fr. Angelus

Gggggggg 2

Tole-

1719.

Crux Ordinis
vel ejus similitudo.

Armenorum
relationes.

Georgius Car-
dosus in Hagi-
ologio Lusita-
niae tom. I.
pag. 253.

Græci cum
Latinis uni-
untur, & No-
stris Constan-
tinopolim ve-
cantur.

Constantino-
polis expu-
gnatur.

Nomina no-
strorum Con-
stantinopoli
interfecto-
rum.

1719.

Toletanus ex Stirpe Ducum Albæ. Fr. Sebastianus a Ponte, & alii, quorum nomina temporum injuriâ exciderunt.

Reliquæ Ma-
gnifice Stru-
eturæ.

VIII. Nunc ad alia urbis decora spectanda digrediamur; Quamvis enim Constantinopolis vilissimis (ut supra memoravimus) ædibus sordeat, habet nihilominus quasdam strueturas satis magnificè excitatas, quales sunt Magni Sultani Palatum, aurô, gemmîs & unionibûs dives. Post hoc Armamentarium, Purpatorum domicilia, præcipue tamen impiæ superstitionis fana, quæ elegantissima mole superbunt. In his principem locum sibi vendicat templum S. Sophiæ, sive Divinæ Sapientiæ, primò a Constantino Magno ædificatum, deinde a Justiniano Imperatore ad magnificentissimam formam proiectum, cuius licet unica duntaxat pars hodie supersit, tanta tamen pulchritudine fulget, ut artis architectonicæ prodigium jure ab omnibus reputetur: tanta quoque veneratione a Barbaris colitur, ut Imperatores, Imperatoriæque fœminæ, Proceres, & universæ denique Provinciæ Ottomanno sceptro subiectæ sua in illud dona certatim conferant. Totum e marmore turget, auróque interius largè illitum, plurimas veteris & novi Testamenti Historias artifice manu, operc musivo sive vermiculato exhibit. Harum majorem partem, quo usque nimirum hastis & contis pertingere poterant, Turcæ pri dem abraßerunt, ad extremum verò anno 1734. novo furore omnes funditus sustulerunt. An verò hoc factum etiam prodigiam illam Virginis DEIPARÆ imaginem præ foribus erectam, cuius caput jam crebriùs revulsum & exterminatum, altera statim die (ut fama tulit) eidem loco repositum, eadémque elegantia expessum semper inventum est, involverit, dicere non habeo. Ampla hic scribendi materies sese mihi offerret, si marmoris elegantiam, columnarum varietatem, porticus, pergulas, lampades, candelabra, aliisque hujus Templi ornamenta calamō depingere vellem; sed quia labor iste a proposito brevitatis studio abhorret, data operâ ab eo abstineo, hoc unicum duntaxat (quoniam sermo nunc fuit de Templo S. Sophiæ) adjicere volui, Constantinopolim ultra duo millia Turcicorum, Græcorum & Judaicorum fano rum intra sua moenia complecti.

2000. Fano-
rum.

Scholaſtici.

IX. Sunt etiam hic quinque Collegia Juventuti instituendæ deputata, in quorum singulis magna scholaſticorum multitudo alitur. Horum quisque peculiare suum cubiculum, lectulô, stragulô ac candelabro instrutum, quatuor panes diurnos, & certum dimensum potus hordeacei habet. Binas quotannis vestes recipiunt, & nummi pro numero annorum, quibûs in Collegio viixerunt, inter eos quotidie distribuuntur, ita tamen, ut primi anni scholaſtici præter cubiculum, vietum & vestitum nihil accipient, studiosi verò secundi anni nummum unum *Asperum* singulis diebus habeant, tertii duos, & sic deinceps. Hæc juventus scholaſtica est omnium corruptissima, gulæ & voluptatibus, cæterisque juventutis vitiis dedita; idque tantò licentius, quod sub obtentu privilegiorum suorum omnia genera petulantiae ac nequitiae impunè committat. Scriptoriæ quæstum faciunt, atque hoc paſtō pecunias

Moribus cor-
rupti.

pecunias congregant, quas in alimenta flagitiorum suorum largè profundunt. Doctiores opulentorū civium liberos privatim instruunt, eisque morum suorum scabiem affricant, ut ferè omnis Turcarum improbitas ab hac hominum peste oriatur. Evidem Constantinopoli ob reverentiam præsentis Principis non adeò audacter in scelera bacchantur, aliæ tamen urbes Anatoliæ ac Syriae eorum importunitatem tanto cumulatiù sentiunt.

1719.

X. Ex adverso Constantinopolis, in septentrionali nimirum portū litore, suburbium consurgit, cuius pars Orientalis & Bosphoro contigua Pera, Occidentalis autem & in continentem procurrentis Galata dicitur. Turribus, murisque cingitur, & interdum etiam duplicitib⁹, quos fossæ non admodum altæ, & alicubi ruderib⁹ confratæ ambiunt. Hoc suburbium Christiani, Latini & quæ ac Græci maximō numerō incolunt, & multa Templæ obtinent, in quibus suæ Religionis exercitia liberè obeunt. De Græcis & Armenis nihil loquar: ex latinis Patres Societatis JESU, Patres Dominicani, Franciscani Conventuales & Observantes, item & Capucini Templæ & Domicilia hic possident, quibus nunc ex Fundatione Augustissimi CAROLI VI. Romanorum Imperatoris, & ex Achmetis III. Magni Sultani indulgentissima facultate Ordinis nostri Religiosi accesserunt, ut latius infra visuri sumus. Orientali Peræ lateri aliud suburbium adhæret Top-bana dictum, a Turcico vocabulo Top, quod æneum tormentum significat, non alià, ut opinor, causâ, nisi quia in illo suburbio murales machinæ funduntur, cuius rei occasione locus iste non semel conflagravit. Ab hoc suburbio usque ad columnam Pompeii, quæ in modica insula ad ipsas ferè fauces, quib⁹ Pontus Euxinus Bosphoro infunditur, tumidum caput in altum attollit, longo multarum horarum itinere varia ædificia ac domus voluptuariæ occurunt, quæ in utroque Bosphori litore quasi seminatæ voluptati Purpuratorum inserviunt. Sed infinitus evaderem, & scribendi finem nullum invenirem, si singula litteris exequi vellem, quæ in hac urbe memoratu digna occurunt. Unde gressus recipio, & ad P. Redemptorem denuò revertor, qui mihi uberrimam nunc scribendi segetem suppeditabit.

Pera & Galata.

Ordines Religiosi ibidem.

Officina fuso-
ria tormento-
rum.Alia Palatia
Purpurato-
rum.

C A P U T IV.

Initium & progressus undecimæ Redemptionis.

I. Quam nobis copiosæ Redemptionis non vanè augurabamur occasionem, eam postea talem reapse experti sumus. Ad hanc magnum momentum attulit Magni Oratoris insignis charitas, qui jam inde a Turcarum confiniis Constantinopolim usque aliquot captivos ære proprio a servitute liberavit, suóque exemplò alios plures e prima & secunda Nobilitate magnæ Legationis comites ad idem faciendum incitavit. Multi quoque sub itineris decursu ex variis oppidis ad nostros fugerunt, & Magni Oratoris auctoritate tecti libertatem invenerunt, connivente

Per iter captivi redempti.

Hhhhhh
præ-

1719. præter solitum ad res tales Mehemete Agâ, Legationis ductore, qui viro amplissimæ dignitatis in nullo refragari voluit: tacebant etiam siue reliqui Turcæ, nec profugos suos requirebant, metu vel reverentiâ Legationis deterriti. Per eandem viam P. Redemptor aliquoties opportunitatem nactus est unum alterumve Christianum redimendi, atque hoc mercimonii genere effecit, ut in ipsis Legationis castris, ante moenia urbis Byzantinæ erectis, multos jam numeraret redemptos, quos ex Servia, Bulgaria & Thracia secum eò perduxerat. Porrò ad eadem castra, quæ unius circiter horæ intervallô ab urbe distabant, idque ob contagiosam luem Constantinopolim miserè depascentem, ab ipso statim Legationis adventu multi Turcæ, Græci & Hebræi se contulerunt, qui captivos suos venales adducebant; noverant enim pacificationis articulis cautum fuisse, ut omnes captivi Christiani, editionibus Romani Imperatoris oriundi, moderatō pretiō venderentur: sperabant itaque se in principio Redemptionis majus lytrum obtenturos, simûlque metuebant, ne posteà ad vendenda minori pretiō mancipia sua compellerentur, aut si ad Cæsareum Oratorem confugerent, ipsi & pretium & mancipium amitterent. Atque in hunc modum bimestri illô spatiô, quô Cæsarea Legatio extra urbem in castris agebat, Redemptionis negotia transacta fuerunt, non sinè magno nostrorum solatio, certaque spe fructuum uberiorum.

Senecio ad
CHRISTI fidem
reversus.

II. Intereà illud accidit sanè lepidissimum. Quadam die ad Legationis castra penetravit senex capularis, canâ prolixâque barba decorus, & septuagenariô, ut apparebat, major, qui olim Viennensis obsidionis tempore cum multis aliis in servitutem abreptus quadam animilevitate CHRISTI fidem dudum abjuraverat; libertatem accensus & Turcicæ mulieri connubio junctus Constantinopoli multis annis in propria officinula diversarum regularum mercionio quæstum fecerat. Supernâ nunc tandem gratiâ compunctus nostros Religiosos in castris Legationis quæsivit, rogavitque, ut Sanctæ Matri Ecclesiæ præteriorum pœnitens reconciliaretur. Mox turbinatô pileo (*Turbanus* vocant, latinius anadema vel cidarim Turcicam dixeris) capiti detractô præcipuum Mahometanæ superstitionis indicium ab se amovit, abjecitque, & impiam se etiam detestatus promissam barbam sibi abradi curavit; Germanicis deinde vestibûs amictus, ne a Turcis agnosceretur, securè aliquamdiu inter nostros latuit, suspicacis tamen uxoris suæ oculos ne hoc quidem schemate fallere potuit; illa siquidem a Turcis edocta tot indaginibûs conjugem suum cinxit, ut quamvis ille latbras frequenter mutaret, & a nostris studiosissimè occuleretur, ad extremum tamen ad ejus colloquium pervenerit. Illa conspœctô maritô inter confusa lamenta acerbissimè cum eo expostulavit, & illud primum vel maximè objecit, quod barbam, grande virorum ornamentum, deposuerit, tantisque piaculô non contentus ad Jauros etiam, id est infideles, quô convitio Turcæ Christianos onerant, impie defecerit. At Senecio insanis mulieris vociferationibûs nihil commotus ad omnia risit, & tanquam nihil eorum

Ab uxore
quæritur, &
invenitur.

eorum, quæ dicebantur, intelligeret, germanico idiomate identidem respondit: *Apage, facesse, non te nosco, Christianus sum.* Videntis itaque mulier se nihil proficere, tunc quidem stomachabunda discessit; sed paulò post Judicem adivit, suūmque maritum desertæ religionis ergo in crimen vocavit. Accersitur senex facti sui rationem redditurus, nec judicium subterfugere licuit. Venit proinde Carolô Nitscholdô interprete nostro comitatus, sed coram Judice omnes quæstiones Germanicâ linguâ elusit, quòd se Turcici idiomatis prorsus ignarum fingeret. Perstabat nihilominus mulier in sua sententia, huncque maritum suum esse dejebat: ille verò ad omnes ejus criminationes hoc unicè respondit: *Non te intelligo.* Tandem Judex hac frustratione exacerbatus senem abire jussit dicens: *Malus fuisti Turca, malus eris Christianus.* Ad nostros in suburbana castra reversus securius deinceps egit. Cùm verò nostri propedièm urbem ingredi cogitarent Redemptionis negotia propriùs curaturi, hunc senem comites Kolovrathii Emmanuel & Norbertus singulari charitate in suæ protectionis curam suscepserunt. Ad Kalendas Octobris, dum univerfa Cæsaris Legatio Peram, Constantinopolis suburbium, migrat, senex ille ad eorundem comitum hospitium admissus, post dies paucos cœpit adversa valetudine conflictari, vitæque finem adesse sentiens, post emissam Catholice Fidei professionem ter in illa ægritudine animi noxas Sacramentali Confessione expiavit, susceptoque devotissimè sacrō viaticō & extremæ unctionis Sacramentō munitus ex hac vita piè decessit; cuius exanime corpus Christiano more in Catholicorum cæmeterio Peræ sepulturam accepit.

III. Tertia die Septembribus P. Redemptor cum suis Peram ingressus domum ibidem mercede conduxit, quam redempti ad reditum usque in Germaniam incolerent. Redemptionem postrà auspicatus primis diebus in id maximè incubuit, ut exploraret nationem & conditionem captivorum, scirètque apud quosnam Dominos unusquisque attineretur. Ad portum quoque digressus naves per vestigavit, ut Romanorum Imperatoris subditos ibidem venaretur, invenitque multos ex omnibus Germanici Imperii Provinciis, præsertim, cùm inclinante Autumno navigia se ad hiberna reciperent. Ex his ille clanculum unum alterumve redemit; plures emere minimè ausus, quòd timeret, ne in vulgo emanaret Redemptio, & ideo Turcæ captivos absconderent; satius enim duxit adventum Magni Oratoris in urbem expectare, cuius adminiculô Redemptionem majori fructu perficeret.

IV. Kalendis Octobris Magna Cæsaris Legatio e suburbanis castris Peram ad designata hospitia concessit. Primis mox diebus Magnus Orator pro laudabili suæ charitatis zelo apud Portam Ottomanicam institit, ut captivi missionem ex *Baino* sive *Balneo* (nomen est subterranei carceris apud rei maritimæ Præfectum, ubi mancipia ad triremes & nauticos labores damnata custodiuntur) impetrarent, effecitque, ut quinque supra sexaginta ex hoc infelici hominum genere dimitterentur. Curatores & arbitri ad

1719.
Increpat, at
ille te idiomâ
non intellige-
re fingit.
Ad Judicem
defertur. Ea-
dem fatio ei-
dem patroci-
natur.

Egrotus Sa-
cramentis
mannit, &
obit.

Redemptionis
Constantino-
poli progres-
sus.

65. captivi ex
publico erga-
stulo opera
M. Oratoris
liberantur.

1719. hoc delecti fuerunt Dierlingus, Theylsius, Petrovitzius & Kemerterus, qui receptos captivos P. Redemptori ejusque socio in manus tradiderunt, illorumque curae consignarunt. Inter ceteros captivos unus erat, qui se ex Palatinatu oriundum dicebat, unde cum videret Cæsarialis subditos ad pileum vocari, eorum societati se aggregabat. At Notarius Turca eum impacto fuste rejecit, dixitque, eum haudquam esse Germanum, sed suecum, quibus verbis innuere voluit, illum Germanici Imperatoris subditum non esse. Hoc tamen nihil obstante evicit Orator, ut & iste quoque libertati restitueretur. Collectis itaque in unum omnibus captivis Magnus Orator separatam domum eis inhabitandam assignavit. P. Redemptor verò eis viëtum providit pecuniis in dies viritim distributis usque ad annum sequentem & aliquot ultra menses, donec nimirum Germaniae restituti in suam quaque patriam dimissi fuissent.

Presbyter na-
tione Meliten-
sis liberatur.

Magni Orato-
ris & Nobil-
ium pietas.

Doctor Medi-
cinae cum 10.
Germanis e
triremi redi-
mitur.

V. Subinde Græci nonnulli ad P. Redemptorem perduxerunt Presbyterum ex Insula Melitensi oriundum, nomine Gratium Bellam, annos non amplius quam septem & viginti natum, & a biennio captivum, qui in trireme servitutem omnium longè miserrimam serviebat, ut potè, cui incumbebat totius navis spurcias repurgare. Id ut videbatur Sacerdote indignum munus, ita impensè rogarunt, ut P. Redemptor ipsum quantocyùs liberaret, & a Barbarorum ludibriis eriperet. Evidem Pater propensissima voluntate in ejus eliberationem ferebatur, obstat tamen, quod Presbyter ille non esset e numero Cæsareorum subditorum, pro quibus solis redimendis eleemosynæ in Cæsareis Ditionibus corrogantur: misericordiâ tamen commotus promisit, eum ab se aliqua lytri parte adjutum iri, imploraret etiam Cæsarei Oratoris auxilium, se suis partibus minimè defuturum: cavebat nimirum P. Redemptor, ne in ipso statim principio, & in facie Magnæ Legationis exterros argueretur redimere. Presbyter Patris secutus consilium Virmondtium Magnum Oratorem adit, & subfidium aliquod ab eo postulavit, quod se in libertatem assereret. Virmondtius Comes, ut erat Vir insignis pietatis, Presbyteri precibus commotus ei non contemnendam lytri partem suppeditavit, cuius exemplum reliqua Legationis Nobilitas secuta tantum stipulis contulit, ut adjectis a P. Redemptore centum & viginti sex florenis totum ejus lytrum, quod Trierarchus poposcerat, in promptu fuerit, trecenti videlicet & septuaginta quinque floreni, quibus Presbyter ille non sine maximo cordis sui solatio a tristissima servitute absolutus, & desideratae libertati postliminiò restitutus fuit.

VI. Simile quid evenit Paulo Marquette Nancei in Lotharingia nato Medicinæ Doctori (quam tamen ille conditionem suam spe facilioris eliberationis nunquam manifestaverat) ætatis annorum quatuor & triginta, qui ante biennium & aliquot menses in Turcarum captitatem devolutus fuerat. Hic in navi quadam Smyrnensi sub idem tempus Constantinopolim appulsa cum aliis decem Germanis onustus catenis remum ducebat. Nostri navim ingressi

ingressi de Germanis cum Navarcho tractare cœperunt. Infelix ille Medicus, ut intellexit, quid rerum ageretur, Patres enixissimi precibūs obtestatus est, ut se quoque redimerent. Id verò Patres minimè ausi, quod ex Lotharingiæ Ducatu nulla Redemptioni acceſſerint ſubſidia, Navarchum tamen percontati fuit, quanti hunc captivum vendere vellet? Respondit ille, hunc ſe non minoris, quam ſexcentis piaſtris dimiſſurum. Enorme id nostris videbatur preium, qui proinde nihil non egerunt, ut Navarchum ad æquiorem mentem perducerent. Verùm illo in ſua ſententia obſfirmatè persistente, & ne teruncium quidem de indiſato lytro remittente coacti ſunt nostri re infecta diſcedere. Post paucos dies navi illa Constantinopolī rufus Smyrnam ſolvit: Marquettus autem ibidem occaſionem nauctus Nanceium ſcribendi miſerrimam fortem ſuam aperuit, & quō modō nunc liberari poſſet, indicavit. Habebat ille in Aula Serenissimi Ducis Lotharingiæ inter cæteros amicos etiam fratrem germanum, qui & ipſe quoque Medicinæ Doctoṛ erat. Is effecit, ut Serenissimi Ducis ſumptibūs redimeretur. Confeſtim id nostris Viennæ Patribus inſinuat̄, & apud eosdem lytrum deponit̄, qui rei gestæ ſeriem P. Redemptori Constantinopolim per litteras exempli inti- mārunt, eūmque monuerunt, ut dictum Marquettum quantocyus redimeret. Gratum id quidem fuit audire P. Redemptori, ſed cūm navi illa Smyrnæ detineretur, nec amplius Constantinopolim re- versura crederetur, P. Andreas eò proficiſci ſtatuit, non ſolū Marquetti, verū etiam aliorum decem Germanorum in eadem navi detentorum redempcioni conſulturus. Huic tamen proposito adverſabatur P. Redemptor, quod is frequenter ægrotaret, atque adeò Patris Andreæ adjutoriō maximè indigeret, veritus nimirum ne ipſo abſente Redemptio gravius periclitaretur. Consultius itaque fore arbitrabatur, ſi negotium iſtud Smyrnæ Hollandorum Consuli peragendum committeretur, quod & factum eſt. Decem Germani Imperialium pactorum jure vendi debebant, non eadem ratio pro Marpetto militabat; cujus redemptio cum per Hollandum instantius, quam oportuiffet, urgeretur, ſubodorati ſunt Turcæ, Marquettum melioris metalli ſive majoris momenti eſſe hominem, quam hucusque crediderant, unde & lytrum ejus indiēs augebant; ipſa tamen viri conditio Turcis ſemper ignota permanit, quæ ſi eis innotuiffet, nullis precibūs aut pretiō ad eum ven- dendum induci potuiffent. Hæc postquam P. Redemptor Vien- nam perſcripſiſſet, reſpoſum tulit, ut nullis ſumptibus parceret, nec lytri magnitudine ſe deterrei ſineret, quod Serenissimus Dux Lotharingiæ omnia compensaturus eſſet, quæcumque pro ejus re- demptione expendi oporteret. Ageret tantum & captivum redi- meret, quamvis immodicum preium perſolvendum eſſet. Hæc epiftola Marpetto libertatem peperit; reſumptis namque re- demptionis tractatibūs Patres cum Navarcho Turcico tandem ægrè convenerunt, ut ſolutis mille ac quingentis floreniſ ſervitute ab- ſolveretur, quā pecuniā auctutum numeratā Marquettus libertatem recuperavit, & cum decem illis Germanis ad noſtros Constantino-

1719.

polim feliciter pervenit, posteà verò oblata navigationis opportunitate in patriam reversus est.

*Pro eliberan-
dis Italia sub-
sidia missa.*

VII. Alia fuit conditio Italorum; Patres enim Cœnobii S. Caroli ad quatuor fontes Romæ, priusquam P. Redemptor Viennâ discessisset, pro Romanis & Ecclesiastici Statûs civibus, si quos fortè reperturus esset, miserunt mille ducenta argentea scuta (hinc corrige errorem, qui in captivorum Catalogum irrepsit mille scutis omisiis) quos P. Redemptor fideliter pro captivis illius Nationis undequaque conquisitis expendit, eosque Viennam secum reductos in patriam suam liberos remisit.

C A P U T V.

*Ordo noster duo Diplomata a Porta Ottomannica
obtinet, quorum unô potestas nobis facta est Peræ
Constantinopolî Cœnobium condendi; alterô Redemptionem
captivorum liberè excequendi.*

*Prædicta mo-
tiva ad initia-
tuendam
Constantino-
poli Domum
Ordinis.*

*Lib. 1. pag. 4.
num. 14. pag.
23.*

I. **N**on ego quidem istud nunc ago, ut arcana Principum perscruter, quantum tamen ex rerum aliarum conjectura assequi licuit, facile deduci potest, negotium Constantinopolitanæ Fundationis nostræ ex altioribus influxibus processisse. Annô superioris saeculi septimô & octogesimô ante ipsum adhuc ortum Viennensis Cœnobii nostri Cardinalis Bonvisius jam eò collimaverat, ut post aliquot in Hungaria stabilitos Conventus solicitude susciperetur Ordinem nostrum Constantinopolim introducendi, quatenus obtenta in hac urbe domo propriùs & majori commoditate ac industriâ Redemptioni captivorum invigilare possemus; quam ille mentem suam Cardinali Alderano Cibo Ordinis Protectori scriptis ad eum die sexta Julii ejusdem anni litteris jam tunc aperuit, ut superiùs memoravimus. Huic rei maturandæ multum etiam contulisse creditur flagrantissimus zelus P. Redemptoris, qui priusquam Constantinopolim concessisset, crebriùs Illustrissimum Oetlium Bellici Consilii ad Cæsarem Relatorem (Referendum dicunt) convenit, eidemque inter longa & arcana colloquia exposuisse putatur, quantæ utilitatis res foret, si nostri stabilem locum Constantinopolî obtinerent, ubi captivos e propinquo consolari, illisque celeriorem opem ferre possent. Ejusdem consilii particeps fuit Fleischmannus, vir veteri necessitudine P. Redemptori conjunctus, & post egregiè obitam Cæsarî nomine ad Aulam Byzantinam Legationem Bellicis consiliis jam adlectus, quorum uterque sese Ordinis nostri studiosissimum semper exhibuit. Ambo utilitate ac necessitate rei perspecta Patris consilium impediò probaverunt, Fleischmannus etiam multò priùs nostros ad hoc impetrandum urserat, ex quo conjicimus, ipsum P. Redemptoris pia desideria Serenissimo Eugenio Sabaudiæ Principi insinuasse, expositaque rei utilitate illum quoque facile ad eandem opinionem induxisse, atque adeò effecisse, ut post obtentum Cæsarî assensum hujus negotii executio arcanis mandatorum instructionibus,

Vir-

Virmondtio Cæsar is ad Portam Ottomannicam Magno Oratori traditis, infererentur. Hæc quis prohibet ariolari? Verùm finamus ista inter arcana Principis latere, ego ad rem & maturos fructus decerpentes progredior.

II. Virmondtius Magnus Cæsar is Orator postquam solemnis pompâ Constantinopolm ingressus, & consueto apparatu cum muneribus primò ad Proto-Vezirii, deinde ad Magni Sultani allocum admissus fuisset, die decima sexta mensis Octobris Proto-Vezirium, ad Bosporum Thracium extra Constantinopolim in domo suo voluptuaria demorantem, invisit, duobus solūm comitatus Nobilibus, eoque gratiō, quod paucioribus stipatus adveniat. Hic dum familiariis invicem colloquuntur, Virmondtius inter cetera, quæ pro stabilienda utrinque commerciorum securitate differuerat, ad extreum subjecit, huic negotio ex sententia perficiendo multum opis allatuos Patres Trinitarios, qui cum ex omnibus Regnis & Provinciis, Romanorum Imperatori subjectis, multas & magnas eleemosynas pro redimendis captivis colligant, non parvum momentum conferre possent, ut commercium magis firmetur & floreat: ad hunc autem finem consequendum opus esse, ut illi Religiosi Peræ retineantur, ædes sibi comparent, & stabile figant domicilium. Proto-Vezirius, ut erat omnibus modis fulciendo commercio intentus tanquam in re ad suum palatum facile Oratoris in vota concessit, pollicitus etiam, hoc se proxime in Divano seu Consilio loco propositurum, suscepturumque hujus causæ patrocinium. Prius tamen Mufftium Sacrorum suorum Præsidem in eandem sententiam adduci voluit, satis nimirum gnarus, eo refragante nihil effectum iri. Mufftius olfacta lucri spe, simul & augmento commerciorum perpensò ad consensum minime difficilis esse videbatur.

III. Itaque Magnus Orator supplicem libellum ad Magnum Sultanum concipit, in quo lucrosam propositionem suam in medium adducit, cuius fundamentum est initus ab utroque Imperio & Orientali & Occidental mutuus commerciorum Tractatus: utilitates ac emolumenta enumerat, & præsertim multis prægnantibus rationibus efficaciter ostendit, grande momentum ad fulciendum eundem Tractatum allaturum, si Religiosi Trinitarii, quibus spissum sit in redimendis captivis commercium, Peræ aut Galatæ detineantur, & ibidem domicilium firmare cogantur. Non tantummodo id commodum futurum Societati Orientali, sed vel maximè ipsis Magni Sultani subditis quæstuosum. Quæ universa sapientissimis in Consilio Dictatoribus, profundissimis scientiarum fodinis, mundique ordinatoribus amplius expendenda reliquerentur. In hunc ferè sensum scriptus libellus ad Proto-Vezirium mittitur. Res hæc in Divano proposita nocte est adversarios quosdam ex Purpuratis, afferentes, quod si hi Religiosi Peræ aut Galatæ stabilem fortirentur domum, futurum esse, ut ad eam frequenter mancipia ab heris suis confugiant, ex quo infinitæ lites, jurgia & molestiae essent orituræ. At contra Mufftius negavit, hoc esse metuendum; constare siquidem, hos Religiosos æquod

In Divano
proponitor &
approbatu.

1719.

Duo expedi-
untur Diplo-
mata.

pretiō cum mancipiorum dominis convenire, pactum lytrum accurate persolvere: quod si verò mancipium ad eos configueret, repetendum esse, cui repugnare nunquam illis integrum foret. Huic Mufftii sententiae velut sacrosancto Oraculo Proto-Vezirius suum adjunxit assensum: unde factum fuit, ut paulò post duo expedirentur Diplomata, unum quidem, quod Magnus Sultanus nostris Religiosis facultatem dedit domicilium possidendi, simùlque eis omnes favores ac privilegia indulxit, quibūs aliorum Ordinum Religiosi in Ditionibus Turcarum fruuntur. Alterum Diploma potestatem nostris Religiosis præbet, vigore stabilitæ pacis & amicitiae captivos apud privatas personas detentos honestō ac mediocrī lytrō in libertatem afferendi. Utrumque Diploma in membra pelle characteribūs aureis scriptum & signatum Magnus Cæsar Orator impetravit, lætusque P. Redemptori in manus tradidit. Operæ autem pretium me facturum putavi, si hæc Decreta e Turcico in Latinum idioma a Cæsareo Interprete Constantinopolī mox conversa eruditī Lectoris oculis subjicerem, quorum primum sic se habet:

*Sultan Ahmed Filius Sultani Mehemed
Chan semper Victoriosus.*

*Nobile, Dignum & Excelsum Signum Regium & In-
clyta nota Imperialis, quæ totum mundum per-
vadit, sic mandat.*

Diploma I.
sirea Domum
possidendam,
qua continent
plura privile-
gia & exem-
ptiones.

Cum Romanorum Imperatoris, qui est Exemplar Principum populi in Messiam credentis, ad Felicem Portam meam Magnus Legatus, Generalis, Comes de Virmont (eius extrema feliciter terminentur) ad Limen Felix Meum Libellò supplici representaverit, juxta contentum Capitulationum Imperialium datarum anno Hegyræ 1059. Decretum fuisse, ut nemo faceat molestiam e Secta Papæ Trinitariis de Redemptione nuncupatis Sacerdotibus, Religiosis & Christianis, ac præterea, ut ire, venire terrâ marique possint, absque eo, quod ullus eosdem, aut loca, in quibus habitant, turbet, aut inquietet, cum autem Domos suas reparare voluerint, ne quisquam se ingerat, aut eos impedit, aut pariter in exercitio suorum rituum, & Cultus Divini more Latino a Beglerbegis seu Pro-Regibus, a Judicibus, & aliis Magistratibus non molestentur, tam in itineribus, quam in propriis habitationibus, & Templis, quæ ab antiquo occupant, & possident. Quoniam verò ex solis populi eleemosynis vicitant, ne exigantur ab illis propter res eorum vectigalia, contributiones, aut tributa, aut alia quævis Jura & impositiones, nisi propter merces, quas inferre possent ad negotiandum. Cum autem

1719.

aitem inter illos aliquis morietur, nullus ex parte Fisci se ingerat retus, aut facultatibus demortui, nec aliquo moriente exigatur ab illis aliquid sub praetextu juris sandapile seu feretri. Quod si forte contingat in viis, ubi illi habitant, aliquod homicidium, aut effusio sanguinis, ne illi incarcerentur praetextu exigendi pretium sanguinis. Præterea ut predicti Religiosi Christiani, aliique Sacerdotes Latini ab Episcopis Græcis, Servianis & Bulgaris non molestentur, immò verò ut in Templis, quæ ab antiquo in eorum remanent possessione, tam ipsi, quam eorum sequaces subditi suo attendentes servitio, libere exerceant, & sinè molestia Cultum Divinum juxta ritum Latinum, sinè eo, quod quisquam ex Græcis & Servianis se ingerat, eos turbet, aut impedit, nec ulla pecunia ab ipsis exigatur propter querelas contra eos factas; quodque anno Hegiræ 1112. sub finem Lunæ Rebiulachi dictæ ejusdem tenoris Augustum Mandatum elargitum fuerit, Nobis notum faciens, petiit a Nobis, ut dictum Diploma renovaretur, quod Ego annuens hoc novum edictum promulgavi, mandavique, & mando, ut idem hoc Meum Mandatum in omnibus punctis superius specificatis observetur, & executio ni mandetur, nec imposterum permittatur quidquam fieri, & committi contra Justitiam, & in præjudicium hujus & antecedenter concessi Mei Augusti Diplomatici. Sic noverint, & Fidem præstent Nobili Signo Imperiali. Scriptum in medio Lunæ Zilkoade dicto, anno Hegiræ 1131. id est anno CHRISTI 1719. mense Octobris.

In Residentia sublimis Domus Orthodoxæ
Constantinopolis præservatae.

IV. In hoc Diplomate ad majorem intelligentiam hujus generis scripturarum, quarum multæ partim præcesserunt, partim deinceps sequentur, quædam nunc annotanda veniunt. Imprimis quidem in omnibus ferè stylus & dispositio semper observatur esse sibi ubique similis, licet Turcæ non semper explicent, quod explicare deberent, sicut in hoc Diplomate apparet manifestè: imitantur nimis ad litteram præteriorum temporum & negotiorum formulas, quas & sequentibus Decretis, prout possunt, aut volunt, applicant. Plerumque sub Nota Imperiali in capite prodeunt, quam *Tugra* Turcicō vocabulō dicunt, quemadmodū in nostro Diplomate videre licet: *Sultan Ahmed Filius Sultani Mehemed* &c. Simile prodidit anno 1665. in Legatione Lesleiana, videlicet: *Mehemed Chan*, *Filius Ibrahim Chan* semper *Victoriosus*. *Nobile*, *Dignum & Excelsum Signum Regium*, & *Inclita & Gloriosa Nota Imperiali*, quæ auxiliō Domini totum pervadit Mundum, sic mandat. Quod Diploma datum fuit in favorem Patrum Societatis IESU & totius Cleri Latini ac cæterorum Ordinum Religiosorum

Diplomaticum
apud Turcas
Stylus.

Tugra quid
est?
Tafferner in
Legatione
Lesleiana.
pag. 137.

Kkkkkkkk

in

1719. in Sultani Imperio degentium, ubi sequentia etiam leguntur: *Cum Illustris inter Principes Christianos Gualterus de Leslie, Magnus Legatus ad Felicem Meam Portam ex parte Imperatoris Germaniae missus porrecto Memoriali Nobis supplicaverit, ut Meum Imperiale Diploma ac Mandatum gratijs concederem ad hoc, ut iuxta contentum Capitulationum Imperialium anno Hegiræ 1059. nemo faceat molestiam Patribus de Societate IESU, aliisque Religiosis Latinis in Meu Regnū & Dominis, in quibus habitare illis liberum sit, ac præterea ut ire, venire terrā, marique possint.* Cætera iisdem consequenter verbis efferventur ut in nostro Diplomate usque ad illam clausulam: *nec ulla pecunia ab illis exigatur propter querelas contra eos factas.* Ac demum sic concludit: *Ego in specimen Mæ Imperiali Gratia hoc Meum Augustum Mandatum Berat Diploma concessi, mandavique, & mando, ut idem hoc meum Mandatum in omnibus punctis superiorijs specificatis observetur, & executioni mandetur, nec imposterum permittatur quidquam fieri, & committi contra Justitiam, & præjudicium dicti Mei Augusti Diplomatici. Sic nōrint, & fidem præstent Nobili Signo Imperiali. Scriptum sub finem mensis Gemaziulula anno Hegiræ 1076. apud Christianos 1665. initio Decembris.* Sed ut ad nostrum rursus Diploma, cuius gratiâ ista præmisimus, tandem perveniamus, liquet, in eo duo allegari Decreta; alterum quidem anno Hegiræ 1059. alterum verò anno ejusdem Hegiræ 1112. expeditum, quorum pri-

Beras Diplomata.

ma.

Duo Diplomata, quæ alij
legantur; quid
de illis senti-
endum.

cum in annum CHRISTI 1657. inciderit, quo sacer Ordo noster in Cæsareis Provinciis nondum confederat, nobis procul dubio dari non potuit, quamvis in hoc Diplomate disertè dicatur: *Anno Hegiræ 1059. decretum fuisse, ut nemo faceat molestiam . . . Trinitarii de Redemptione nuncupatis.* Quæres igitur, qua fronte illud decretum allegaverint, quod nunquam pro nobis expeditum fuit? Sed responsio in promptu est, & ex superioribus facile eruitur, quia Diploma de omnibus Christianis Latinis Sacerdotibus loquitur tam præsentibus quam futuris, quorum privilegia universa, cum nobis vigore præsentis Diplomatici concederentur, Turcæ illud pro solemni more suo, quô ex præteritis Decretis decerpunt, quidquid volunt, & applicant, prout volunt, ita pro nobis allegarunt, ac si vetustum illud Decretum pro nobis solis expeditum fuisset. Alterum tamen Diploma ibidem allegatum nostris ex parte concessum fuisse videtur anno CHRISTI 1701. quando cum Oettingio Comite Magno Cæsaris Oratore nostri Constantinopolis degentes Redemptionis negotia curabant, quamvis ejusdem nunc Diplomatici nullum amplius vestigium extet.

Hegira quid
sit?
Brietius ad
an. 622.

Petavius in
Rationario
temporum
tom. 4. pag.
296.
Brietius ubi
supra.

V. *Hegira*, vel ut scribit Brietius *Ægira*, quô vocabulô apud Arabes *Fuga* denotatur, eò quod Mahometes ab adversariis suis ob impiam doctrinam, quam tunc disseminare cœperat, exagitatedus die 15. Julii anno CHRISTI 622. Mechâ noctu aufugerat, Epocha est annorum, quam Turcæ gentis suæ *Æram* ordiuntur. Petavius ejus initium 16. Julii ejusdem anni ponit, quem sequitur Brietius, prævalet tamen Sethi opinio, quia fuga Mahometis 15. Julii ante medium noctem accidisse creditur; alii post medium noctem putant, qua dies 16. jam inceperat: ubi de una alterave hora

hora disceptatur, nulla quidem, aut exigua certè cum utilitate. 1719.
 Prætereà Sethus cum Josepho Scaligero sentit Hegiram ab Hagar ancilla Abrahami, & a gente Hagarena rectius deduci. Est autem Hegira apud Turcas & Arabes annus duodecim mensium Lunarium; ita quidem, ut mensis primus, tertius, quintus &c. triginta; mensis secundus, quartus, sextus &c. viginti novem diebus computetur: unde fit, ut annus apud eos sit 354. dierum, 8. horarum & 48. minutorum, quæ minuta si ad 60. pervenerint, assumitur in fine anni adhuc una dies, & annus absolvitur 355. diebus. Manifestum est igitur, cùm annus Hegiræ diebus 10. & minutis 53. minor sit anno Julianò, quòd tot diebus & minutis annus Hegiræ quotannis anticipet annum Julianum, & in annis duobus ac triginta cum dimidio Julianis omnes menses initiò suò percurrat, ut exempli gratià: Si hòc anno aliquis annus Hegiræ incipiat Kalendis Decembribus post sedecim annos initium ejus ad initium Julii perveniet; inde iterum post sedecim annos initium ad Decembrem redibit. Itaque anno CHRISTI 622., ut diximus, die 15. Julii ferià 6. vesperi primus annus Hegiræ incepit, & anno sequenti 623. die 5. Julii feria 3 incepit secundus annus Hegiræ, & anno 624. die 24. Junii in Dominica incepit tertius annus Hegiræ. Et sic consequenter ad hæc usque nostra tempora annorum series continuatur. De Hegiris plura videri possunt apud Sethum in Isagogibus Chronologicis capite 13. in quibus tamen post Kalendarii correctionem sub Gregorio XIII. anno 1582. Canones observari debent anni Juliani.

VI. Quod ipsum attinet nostrum Diploma non melius Ecclesiasticæ Immunitati provideri potuisset, quæ hòc modò etiam inter Barbaros & Ecclesiæ hostes, quod mireris, salva & sarta tecta conservatur. Illis namque Ordini nostro concessis privilegiis & gratiis libertati & Indemnitati Latinorum Ecclesiasticorum vel maximè consultum fuit, quæ præcipue in his consistunt, ut nulli liceat nostris molestiam inferre: ut fas sit nobis libere ire, venire terrà, marique: ut nemo possit loca, in quibus habitamus, turbare, aut inquietare, potestate insuper nobis relicta domos nostras reparandi, circa quod antiquitus in contingentibus incendiis longa & molestissima sæpe fuit controversia, & Cultum Divinum juxta Latinum ritum exercendi: eximimur prætereà in eo a vectigalibus & tributis, contributionibus nec non aliis quibusvis exactionibus & impositionibus, a Fisco & jure Sandapilæ ac feretri, aliisque nobis privilegia asseruntur, quæ quidem Episcopis Græcis, Armenis, Servianis & Bulgaris nunquam concessa sunt, nec concedentur. Memoriæ proditum est circa annum superioris saeculi quadragesimum septimum & sexagesimum, non solum Turcas, sed etiam Græcos & alios Schismaticos arrogata sibi autoritate in Latinos Sacerdotes ac reliquos Catholicos, eos ad pendenda tributa adegisse, illorum bona, fortunásque involasse, & quod omnem crudelitatem excedit, ubi solvendo isti non fuerant, præter utensilia & suppelæctilia filios quoque filiasque illorum Turcis divendendas eripuisse, quatenus ex illorum

Setibus ad ann.
622 & in Isa-
goge Chrono-
log. cap. 13.

Immunitas
Ecclesiastica
præsentis Di-
plomatis sta-
bilitur.

Alia privile-
gia.

Ab exactioni-
bus Latini ex-
imuntur.

1719. auctione pecunias pro solvendo tributo suo corraderent : quod indignè ferens Sultanus per Judicem Byzantinum omitti imposterum jussit , & per suum Diploma Latinos a Græcorum æquè ac Turcarum impiis exactiōibus liberavit. Quamvis autem pro singulis captivis redemptis, qui inter Barbaros pro mercibus reputantur , aliquid in teloniis solvi debuerit , ut per decursum horum Annalium non semel vidimus , Religiosi tamen nostri vi horum privilegiorum semper ab hoc onere in suis personis immunes & liberi fuerunt.

Diploma se-
cundum.

VII. Alterum Diploma de captivorum Redemptione mediocrī pretiō a nostris exercenda directum ad Judices Anatoliae, Constantinopolitanum, Galatensem, & Chalcedonensem nunc pariter subjicimus :

*Sultan Ahmed Filius Sultani Mehemed
Chan semper Victoriosus.*

Sapientissime profunda speculationis Theologorum, Præstantissime pia abstinentiæ Doctorum, scaturigo scientiæ & certitudinis, Detector difficultatum fidei, Resolutor scientiarum demonstrativa- rum, Clavis mysteriorum theologicorum, Fax anigmatum subtilium, Dotate variis gratiis Regis Altissimi, charactere Judicis Generalis Anatoliae insignite, moderne Judex Constantinopolitane Domine Salih (eternet DEUS Altissimus præstantias ejus) Et optime Judicium orthodoxorum, præstantior Præsulum in unum DEUM creden- tium, Fodina scientiarum & infallibilitatis, Elator vexilli nobilis fidei, Hæres scientiarum, Prophetarum & Ablegatorum DEI, Præelecte copiosa gratiâ Regis Adjutoris, Domine Judex Galatensis, (cujus virtutes crescant) Et Gloriosi Judicum & Prefectorum, Fodinae scientiæ & eloquentiæ &c. Judices Chalcedonii vulgo Scutari, Jurisdictionisque bonorum Inspectores (quorum augeantur benemerita) Cùm Excelsum Mandatum Imperiale ad vos perver- nerit, notum sit, quod Romanorum Imperatoris, qui Proto-typon est Principum gentis in Messiam credentis, ad Felicem Portam Meam Magnus Legatus Generalis Comes de Virmondt (cujus extrema feliciter terminentur) ad Felix Limen Meum supplicem Libellum mi- serit ; siquidem in utrumque datis & commutatis Capitulationibus Imperialibus insertum ac cautum inveniatur, ita ut captivorum antecedentis & præsentis belli tempore ex utraque parte in captivi- tatem abactorum & in privatorum manibus existentium elibera- tionem honestò, & quam fieri poterit, mediocrì lytrò procurare lici- tum sit. Quod si cum captivi Domino honesta conventio fieri non poterit, Judices locorum item omnem per compositionem dirimant.

Sin

Sin autem predictis viis id etiam confici haud posset, captivi pretiis
eorum, sive per testimonia, sive per juramenta probatis, atque solu-
tis eliberentur; nec possint Domini aviditate majoris lucri sese re-
demptioni eorundem opponere. Et quandoquidem a parte Excelſi
Imperii Mei ſpeciales homines non emitterentur, qui taliter elibe-
randis captivis operam adhibeant, ſpectabit ad probitatem alteme-
morati Romanorum Imperatoris Praefectorum, ut ad dimittendum
Ottomanos captivos, quō empti ſunt pretiō ſincerè comprobato Domi-
nos illorum adſtrīgant, atque ita Sanctum hoc Opus pari utrinque
pietate promoteatur. Cūque favorem petierit, ut ex parte Ex-
celſi Imperii in privatorum manibus existentes captivi, qui fi-
dem Ottomannicam non amplexi ſunt, ubiunque reperti fuerint,
juxta conventiones Capitulationum Imperialium eliberentur, &
utrinque renovata & ſtabilitate pacis & amicitiae observanda cauſa
ac ſub altememorati Romanorum Imperatoris ad Felicem Portam
Meam Miniftri directione ad redēptionem captivorum ex Instituto
deſtinatorum ſtabilimenta & itinera, ubi neceſſe ceteros quoque
Christianos captivos pro ſuis agnoscētes conſenſu a vendere inten-
dētibus lytro eorum eliberationem, ac terrā, marique undecunque
petierint, transmissionem ad regiones ſuas ne ullus impeditat. Ut
igitur modō ſuperiū explicatō executio fiat, Excelſum Edictum
Meum emanavit, mandauique, ubi in hōc punc̄to elargitum Ex-
celſa Dignitatis Mandatum Meum advenerit, ad id exequendum,
Vos quoque ſupramemorati in Jurisdictione Vesta captivorum il-
lorum, qui in privatorum manibus existunt, fidēmque Ottomanni-
cam non amplexi ſunt, juxta conditiones Capitulationum Mearum
Imperialium eliberationem ſupradictō quoque modō ſub altememo-
rati Romanorum Imperatoris ad Felicem Portam Meam Miniftri
directione ad redēptionem captivorum ex Instituto deſtinatorum
ſtabilimenta & itinera, ubi neceſſe ceteros quoque Christianos ca-
ptivos pro ſuis agnoscētes, conſenſu a vendere intendantibus lytrō
eorum eliberationem, ac undecunque petierint, transmissionem ad
regiones ſuas nullō modō impeditiri faciat. Ita ſcītote, & Signo
Nobili fidem adhibetote. Scriptum in medio mensis Lunaris Zil-
koade, Annō Hegirae 1131. id est annō CHRISTI 1719. mense
Octobris.

Constantinopoli Custoditæ.

VIII. Evulgatum hoc Diploma quantum au&toritatis & re-
verentiæ P. Redemptori conciliaverit, difficile dictu est. Ille fa-
nè hōc potenti Imperiali Rescriptō munitus magnâ prorsus
LIIIIIIII

Hujus Diplo-
matis effe-
tus.

1719. confidentiâ officium suum in redimendis captivis exercuit: hinc ubicunque captivos Germanicæ Nationis, aut alios Cæsareæ Majestatis milites, sive subditos indagâsse, non prius quievit, donec confessis feliciter Redemptionis tractatibus eos in libertatem vendicâsse. Sed quia non omnia præsentî anno transacta fuerunt, finem hujus Redemptionis in sequentem annum differrimus: nunc vero ad alia quædam labentis anni memorabilia recensenda digredimur.

C A P U T VI.

Agriæ pro ædificando Cœnobio Primus Lapis ponitur.

Locus struendo adificio quadratur.

I. **A**nno superiore, ut primùm Fama vulgante percrebuit, pacem cum Oriente in annos quatuor & viginti sequentes conclusam fuisse, ipsa pacis tranquillitas nulli hostilium incursionum metui obnoxia monebat ea moliri, quæ in seram posteritatem durarent. Igitur Gabriel Antonius Episcopus Agriensis, quod animo constituerat, ordiendum arbitratus, designando situi pro nostro Cœnobia ædificando operam dare decrevit. Rogatō proinde & adscitō Ferdinando Comite Sinzendorffio, Arcis Agriensis Præfectō, & Architectonicæ artis apprimè gnarō in Sanctissimæ TRINITATIS sacram ædiculam, nobis nuper donatam, se contulit, sollicitaque examinavit, utrum in illo fundo Cœnobium construi valeret. Ille loci situ explorato grandia detexit incommoda, quibus accedebat aliud insuperabile obstaculum, nempe quod in illa vicinia tumulata fuerint eorum corpora, qui in nuperna peste obierant. Hæc refodere oportebat pro fundamentis jaciendis: cum autem timor non vanus succederet, ne apertis sepulchrīs virus exhalaret, atque adeò extinctam luem denuò resuscitaret, decretum fuit relictō hōc locō alium situm circumspicere.

Examinatur, & definitur commodius situs.

II. Haud procul ab urbis ingressu clivus distabat eminentior, quem longa, lætaque planities undique ambiebat. Ipsa situs amoenitas oculos ad se invitabat, tacitique innuebat, hunc locum novo Templo ac Cœnobio struendo esse multò commodiorem. Huc progrediuntur omnes, locum pro universa structura cum amplissimo viridario mensuris definiunt. Comes Sinzendorffius examinat, si quid nostrum ædificium futuris temporibus Præsidio obesse posset; sed invenit illud tantō intervallō ab urbe recedere, ut nullum indē discrimin munitioni impenderet. Designatur proinde ad artis regulas area, & singulis ædificii partibus suus singillatim situs assignatur. Nec diu moratus Munificentissimus Præful propriis, iisque non parvis sumptibus ligna, lapides, lateres, arenam & calcem convectari jussit, quatenus omnia ad proxime inchoandam ædificii structuram necessaria in promptu essent.

Offa defunctorum Turcarum eruuntur.

III. Vernali tempore mensis Aprilis, ab aperiendo dictus, medium jam cursum tenebat, cum in descripto Cœnobii fundo adponenda fundamenta humus erueretur. Plerisque in locis saxorum frusta, sepulchrales lapides, & sub istis offa defunctorum reperi-

reperta fuerunt. Plurimis statim indiciis patuit, Turcarum hæc fuisse cadavera, quum alia in pedes erecta starent, alia humi ſeffionem præſeferentia ad Orientem proſpectarent, alia denique pro-nō in terram vultu, ſive anteriore faciei parte proſtrati jacerent, ne, ut ex ſuperſtitionis ſue traditionibus metuebant, in ſepulchro malum genium intueri cogerentur. Omnia hæc oſſa in locum profanum abjecta, lapides autem in uſum aedificii reſervati ſunt.

IV. Rebūs in hunc modum comparatīs placuit functionem Primi Lapidis ponendi ſexta & vigefima die Aprilis obire; ad quam videndam ingens hominum multitudo confluxit, quos rei novitas ex viciniſ oppidiſ & pagiſ exciverat. Dic̄ta igitur die Excellen-tiſſimus Epifcopus in ſacra aedicula Sanctiſſimae TRINITATIS in-ter muſicos concentus Sacrā celebratā Liturgiā longo decenti-que ordine in morem ſupplicationis ad fundamenti locum proceſſit, militibūs e Præſidio cum ſuis signiſ & Præfectiſ juxta in aciem diſpoſitiſ. Huc delatus ad ima deſcendit, Lapidem ad hoc opus præparatum benedixit, eidemque nonnulla Sanctorum Martyrum Lipsana imposuit, quæ ærea tabulā texit; tum trullam & cæmen-tum ministrante Architec-to Primum noſtri Cœnobii Lapidem tribūs malleoli datiſ iſtibūs in Sanctiſſimae TRINITATIS hono-rem ſubjuncto tympanorum & tubarum clangore fundamentis im-mersit. Porrò ærea illa tabula, quam Lapiſi præfixam dixi-mus, ſequenteſ inscriptionem continebat:

Annō M. DCC. XIX.

Die XXVI. Aprilis.

Feliciter Gubernante Eccleſiam DEI

Sanctiſſimo Domino CLEMENTE XI.

Archi-Epifcopo Strigonienſi, Hungariæ Primate
Eminentiss. & Sereniss. Principe S. R. E. Presbytero Cardinali
CHRISTIANO AUGUSTO e Ducibus Saxoniæ,

Tenente Clavum Imperii

Augustiſſimo & Invictiſſimo Romanorum Imperatore

CAROLO VI. Hungariæ Rege III.

Tenente Palatinatum Regni

Excellentiſſimo Domino NICOLAO PALFIO ab Erdœd

Pro exſtruendo ſuīſ ſumptibūs Cœnobia

Ordini Sanctiſſimae TRINITATIS Redemptionis captivorum

Speciali affectu erga eundem ductus

In ſolamen captivorum hunc Lapidem locavit

Excellentiſſimus & Reverendissimus Dominus Comes

GABRIEL ANTONIUS ERDOEDY

de Monyokerek

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

Epifcopus Agrienſis.

LIIIIIIII 2

V. Ab;

1719.

Primus Lapis
ponitur 26.
Aprilis.

1719.
Eucharisticus
Hymnus &
40. dierum
Indulgentia.

V. Absoluto hoc actu omnes eodem ordine ad idem Sanctissimæ TRINITATIS Sacellum rediverunt, ibique Eucharistico Hymno *Te DEUM laudamus*, quem Musicorum chorus inter festivum tubarum applausum in gratiarum actionem decantabat, magna pietate, nec minore lætitia interfuerunt, quæ in omnes tanto liquidior redundavit, quod Episcopus apertis Ecclesiæ thesauris quadraginta dierum Indulgentias cunctis assistentibus concesserit.

C A P U T VII.

Carolinæ in Transilvania pro ædificando novo Templo primus Lapis ponitur.

Domus Care-
linæ amplitu-
do.

I. **G**eminant primordia lætitias, dum cognata ejusdem anni gesta parilitate functionum causas gaudiorum multiplicant; rursus siquidem ad spectanda Primi Lapidis solemnia evocamur, qui ad novi Templi structuram in Transilvania positus fuit. Domus nostra Albæ Carolinæ, Betleniana olim dicta, pridem novis murorum accessionibüs aucta, & in Cœnobii formam redacta fuerat, atque adeò præter necessarias domūs officinas multa jam habitacula pro Religiosorum incolatu consurrexerant. Universum ædificium in longitudine complectitur centum & octoginta pedes geometricos. Reliquum terræ spatium recentiore dono acquisitum Templi ædificio destinabatur, cuius fundamenta P. Praeses hōc anno ponere constituit.

In proximo
spatio Ecclesia
decernitur.

Memorabilis
forma Primi
Lapidis.

Inscriptio e-
jusdem.

II. Initis itaque facultatum rationibüs ac spe primò in **DEUM** nec non in amicorum liberalitatem collocata Templi situs describitur, effossaque versus mœnia humō, ubi majus altare erat extandum, Primus Lapis singulari industriæ disponitur. Hujus forma, quia peculiare quidpiam habuit, nunc paucis delineabitur: Lapis erat bicubitalis magnitudinis, quem manus artificis peritō scalprō in similitudinem facelli excavaverat. Propylæo incisa fuit figura Sanctissimæ TRINITATIS, quam inferius ex utraque parte circumstant duæ statuæ Sanctorum Patriarcharum nostrorum JOANNIS & FELICIS, æream & liquatō aurō obducentam tabulam conjunctis manibüs sublevantes. Supra Lapidem Sanctæ Crucis forma insculpta visebatur: æream verò illam tabulam variæ per circuitum florum & foliorum stribligines, opere chalcographico eleganter incisæ, ornabant. In eminentiore ejusdem tabulæ loco Crux, Insigne Ordinis nostri, refulgebat, hōc Chronographicō eidem subjectō: Insignia ordinis sanctæ trinitatis & Captivorum. Porro ad posterorum memoriam paulò inferius leguntur sequentes versus:

Cùm MILLENUS erat SEPTINGENTESIMUS annus
Et DECIMUS NONUS, quo fuit orta salus.
Vincula captivis TRIADOS Sacer eximit ORDO
Annis quingentis plus duo, bisque decem.

Dum



i. Ecclesia et Domus nostra Albæ Carolinæ in Transilvania.
2. Imago Beatisissimæ Virginis MARIAE, qua magna
religione ibidem colitur 3. Monia S. Caroli Bormæi.

Joseph & Andreas Schnuzers sc.



Wien 1780
Von der Wiener Stadtbibliothek
aus der Druckerei des
Herrn J. F. L. Hoffmann

1719.

Dum CAROLUS SEXTUS feliciter imperat, Orbis
 Austriacus floret, Luna minuta gemit.
 In DACOS regimen dum STEINVILLEIUS obiret,
 Quô nullus Regi charior atque DEO.
 Et comes a KORNIS Dacorum sanguine clarus,
 Dùmque Gubernator Munia ritè gerit.
 MARTONFI Sacris Præsul Meritissimus ALBÆ
 Præsidet, & CHRISTI pascit amore gregem.
 STEINLOEFEL primus celebris Generalis in Urbe,
 Hanc dum custodit, protegit, atque regit.
 CONSILIO Præstans dum Jussis CÆSARIS HAHNUS
 Dexteritate sua cum probitate præst.
 Insignis QUADRO dum moenia struxerat ARCIS,
 Quæ CAROLINA modò JULIA dicta fuit.
 ORDINIS Eximius nostri MAJORQUE MINISTER
 Præses ALEXANDER dum GENERALIS erat.
 Ex donis PRIMUS JACITUR LAPIS ISTE Piorum,
 Sic UNI TRINO conditur ARA DEO.
 Et Sanctis Patribus per sœcula cuncta JOANNI,
 FELICI Nostris perpetuabit opus.

Pax super Illos & Misericordia ad Galat. 6. v. 16.

III. Peragendæ solemnni functioni destinatur Festum Sanctissimæ TRINITATIS, dies quarta Junii. Invitatur Episcopus Transilvaniæ D. Georgius Martonius Lapidem benedicturus, Steinvilleus nomine CAROLI VI. Imperatoris eundem positurus, & reliqua cum Cæsareis Militiæ Præfectis Nobilitas tota honoris causâ ob rei memoriam adstitura. Ut dies illa sereno vultu illuxit, horâ octavâ manè ad confertam populi multitudinem P. Benedictus a Sanctis, Ordinis nostri Religiosus, sermonem habuit: Episcopus autem interea Pontificalibus vestibûs ornatus ad peragendam functionem se accinxit, cui quoque Steinvilleus munus Primi Lapidis ponendi, Cæsaris nomine sibi delatum, resignavit. Absoluta concione omnia usitato ritu peracta fuerunt. Post hæc Episcopus cum Ministris, Architecto & aliquot clementariis descendit ad ima fundamenti, quem ex Nobilibus & Præfectis non pauci secuti sunt, Steinvilleo in superioribus remanente. Supposito clemente Episcopus aliorum adminiculô Primum Lapidem admovit, ac trina malleoli, ut moris est, percussione signavit. Nobiles & Præfecti militum assistentes auream argenteamque, hoc anno cusam, CAROLI VI. Imperatoris monetam certatim e loculis suis deponentes ad rei gestæ memoriam Lapidi inseruerunt, ita ut non facilè reperiendus sit alter tam dives hujus fortis Lapis, in quem tanta pecuniarum vis confluxisset. Exinde clementarii festinato opere murum circa primi Lapidis ambitum ad

Primi Lapidis
pro Ecclesia
positio:

M m m m m m m

justam

1719. stam magnitudinem erexerunt; cæteram verò structuram, quam dictæ Festivitatis religio non patiebatur absolvī, in sequentem diem distulerunt; excubiis tamen loco appositi, ne furum aliquis sibi temerariis manibūs viam ad Primum Lapidem expilandum aperiret. Postea Hymnus Ambrosianus & solemne Missæ Sacrificium eodem Episcopo ad aras operante decantata fuerunt, quibūs finitis Steinvilleus Episcopum & præcipuos Nobiles viros cum Militum Præfectis in domo nostra magnificentissimō conviviō exceptit, ubi omnes lautè largēque habiti solemnem diem hilariter transegerunt.

C A P U T VIII.

Obitus Augustæ Matris ELEONORÆ MAGDALENÆ Imperatricis.

1720. **I.** AD ingressum Anni millesimi septingentesimi vigesimi mensis Januario iterum lugubris lessus insonuit, non modico nostri Ordinis in Provinciis Austriacis moerore. Frequenter his annis lugemus charorum funera, dum longiore vita dignos, & de nobis optimè meritos inexorabilis Parcarum (ut finxere veteres) sævities aufert, ac ne summis quidem Imperii Culminibus parcit:

*Ovid. lib. 3.
Xliiij.*

Scilicet omne Sacrum mors importuna profanat.

ELEONORA MAGDALENA THERESIA Augusta & Duorum Augustorum Mater immortalitatem dudum promerita ad Superos hoc anno abiit in æternum cum DEO Regnatura; quæ quamdiu in terris vixit, verum semper fuit virtutis Speculum, Sanctitatis Idea, egenorum Refugium, & Ordinis nostri in rebus afflictis singulare Solatium atque Patrocinium.

*Sororem Re-
giam Ipsi ad
cunas præci-
buit*

II. Omnia in hac Principe ab ipsis statim incunabulis Regia fuerunt. Dies Natalis in Sanctorum Trium Regum festo Regalia Sceptra portendebat; Augustale soliam Insignis Vates Alsaticus Jacobus Balde S. J. eodem sæculi anno, quintō nimirūm & quinquagesimō, quō nata fuit, Genethliaco Carmine non minùs feliciter, quam veraciter jam ad cunas, tanquam superiore quodam spiritu afflatus, ei præfigavit; libet Sybillina illius Carmina in hos concepta versus recitare:

*Jacobus Balde
S. J. in Ge-
nethliacis
ELEONORÆ
anno 1655.*

Felix Progenies: optato cujus in ortu
Omine non vano Regalis Stella refulsit!

Nondum Te nitido Lucina resolverat ungue,
Publica jam Superum dilectaque cura fuisti.

Accurrere Deæ propius servire paratæ.

Gratia se triplex alieno nomine sumpto

Largior unius diffudit in ora Puellæ.

ELEONORA suos offert, quos Mantua Cygnos
Nutrit, & ad parvas transmittit carmina cunas.

A cunis, si fata sinant, ad Sceptra Thorumque

Purpu-

Purpureum, & grandes assurrecta Coronas,
Certamen, votumque procis immane futura.

Quem facies nuptura virum, quem læta parentem!

Mantua CÆSAREAS assignat pronuba tædas,

Fortunamque experta suam non invidet ulli.

Hæc ille velut ex Tripode Vates. Nos in eventu Connubioque
LEOPOLDI MAGNI Cæsarialis completum præsigium vidimus.

III. Propius ad ea, quæ nosmetipos concernunt, accedo:
Felix quodammodo noster Ordo reputari poterat, quod florente
hac Augusta Principe radices in Austriacis Ditionibus egerit, cu-
jus Ipsa incrementa fovit & auxit, propagines defendit, & Po-
tentia suæ Patrociniò promovit. Possem ego nunc benè longum
Catalogum beneficiorum texere, quæ Piissima Imperatrix in Or-
dinem nostrum contulit, sed quia propositam brevitatis metam
transilire cogerer, si cuncta singillatim recensere vellem, pauca
duntaxat e plurimis referam: sœpe ad Conventū nostri Vien-
nensis juvanda principia largas eleemosynas suppeditavit. Pe-
cunias præterea, quas Nobilissima Crucigerarum Dominarum So-
dalitas, in opus aliquod pium expendendas, statis anni diebus offer-
re solet, Ipsa imprimis ad coëmendam domum pro nostro Cæ-
nobio extruendo convertit, deinde verò Redemptioni capti-
vorum deputavit, in quem etiam finem ad hæc usque tempora a
nostris constanter recipiuntur. Ornamenta Ecclesiæ, Sacras pro
Divinis Officiis celebrandis vestes, aliisque Templorum utensilia
non solum Viennensi Conventui nostro, verùm etiam Illaviensi
ac Posoniensi liberaliter elargita est. Ordinem Trinitarium se
magnoperè æstimate frequens significavit, tum coram Augusto
Cæsare, tum coram aliis Principibus. Ut verò se specialiter Ordi-
ni addictam profiteretur, Ipsa Nomen suum Augusta manu Confra-
ternitatis Albo adscriptis, quatenus testatum ficeret, se humilem
esse Ordinis nostri Sororem. Ejus præsertim operâ & admini-
culo factum est, ut Augustissima totius Austriacæ Domus Pro-
genies idem secuta sit ad hæc usque tempora laudissimum Ex-
emplum. Ubiunque fratum nostrorum etiam minimo occur-
risset, ad Scapularem Ordinis vestem Augustam dexteram exten-
dit Piissima Imperatrix, & in honorem Sanctissimæ TRINITATIS
eandem osculata est, quod sœpe multi non sine ingenti admiratio-
ne intuentes Dominæ suæ pietatem imitati sunt, idemque mos
deinceps apud præcipuæ Nobilitatis Dominas ab ejus exemplo in-
valuit, qui etiamnum Viennæ passim & alibi perseverat. Obser-
vatum quoque fuit, Eam toto viduitatis tempore quotannis, illò
duntaxat excepto, quo pestis Viennam affixit, in Solemnitate
Sanctissimæ TRINITATIS, & Festo Sancti Patris Nostri JOAN-
NIS de MATHA ad nostrum in Suburbio Templum concessisse,
ibidemque Concioni, Sacro solemani, vel post meridiem supplica-
tionibus cum Aulico Comitatu suo adstituisse. Illud autem nobis
maximum ornamentum & utilitatem conciliavit, quod omnes
causas nostras, si in tempore de illis admonita fuisset, non minore

Collata in
Ordinem no-
strum benefi-
cia

3720. fervore ac industria egerit, quām si propriæ ejus fuissent. Nec contenta in Austriacis Provinciis nostrum Ordinem fovere ac protegere, exteris etiam Principibus illum majorem in modum commendavit, sāpiusque ad eosdem in nostrum favorem epistolas dedit.

Obitus & Exequias.

IV. Quantum verò Decus ac Præsidium Ordo noster in hac Principe amiserit, lacrymis melius, quām litteris exprimi posset: ne itaque profixiore ejus commemoratione dolor amplius recrudescat, reluctantem manum a tabula revoco. Hoc unum pro coronide adjicio, eam die XIX. Januarii, anno hujus saeculi XX. piè, sancteque ex hoc mundo emigrasse, conditō prius Testamento, quō corpus suum ligneo loculo includi, illudque ad pedes Imperatoris LEOPOLDI Conjugis deponi voluit hac Inscriptione adjecta: *Eleonora Magdalena Peccatrix.* Tantò illa studiò humiliatis virtutem complectebatur, ut eā etiam post mortem carere nolle. Defunctæ in omnibus Ecclesiis ad aras justa funebria sunt persoluta. Ipsa quoque Archi-Confraternitas nostra Sanctissimæ TRINITATIS Viennæ ad XXII. mensis Februarii lugubrī pompa, solemnī Sacrificiō & panegyri eidem parentavit.

C A P U T I X.

De ulteriore undecimæ Redemptionis successu.

In portu inquiruntur mansipia.

Absconduntur.

Tarcaenum callida summatio.

Falluntur P. sc. v. 18.

I. Psa nunc rerum series depositit, ut intermissum Historiæ filium denuò resumamus, & narratione nostra ea, quæ circa finem Autumni præteriti, & initium anni præsentis Constantinopolī vario successu gesta sunt, breviter pertexamus. Igitur P. Redemptor Diplomate Magni Sultani (ut præmisimus) munitus cum Patre socio & interprete frequentius ad maris oram progressus est, ut captivos, ex Germania oriundos, in triremibus, ubi omnium miserrimam servitutem tolerabant, investigaret. Cæterū cùm naves crebrius adiret, observavit mancipia a Turcis abscondi, & ad infimam carinam repelli; verebantur siquidem, ne Cæsareæ Legationis auctoritate, publicoque pactorum iure ad captivos, quos dimittere nolebant, vendendos vel inviti coherentur. Ad fraudem verò suam melius palliandam callida simulatione sponte offerebant aliquos vetulos, decrepitos, & laboribus exhaustos, atque adeò sibi parum utiles, quos propediem noverant morti in prædam cessuros, rati, homines istos, tanquam altero pede tumulo jam insistentes, a P. Redemptore minimè emptum iri, sibi verò fas fore, si ille alios postularet, vastis clamoribus objicere, oblates ab se fuisse captivos, Patrem verò emere noluisse. Sed si unquam aliás, hic certè egregie mentita est iniquitas sibi, ut eventus ostendit; etenim P. Redemptor, quod sati perspicceret, senes illos, qui ex diuturna in triremibus mora omnia in eis explorata habebant, sibi maximo usui esse posse, ut eorum indiciis ad cognitionem reliquorum captivorum penetraret, incundanter senes illos redemit pretiō quidem non magnō, majori verò

verò suæ negociationis lucrō. Præterea rectè arbitrabatur, senes ex nulla rationabili causa Redemptionis beneficiō privandos esse, qui cùm ad supremam vitæ ætatem in Salvifica CHRISTI Fide constantes perseveraverint, ante alios merentur in libertatem vindicari, ut post tot exantlatas ærumnas, ante finem vitæ Christianæ fidei Sacramentis ad beatam mortem disponantur, & Christianâ sepulturâ gaudeant, in mare aliás abjiciendi, & in ventribus piscium tumulandi. Senes itaque lytrō a diuturno triremium jugo solutos, exultantes, & gratias agentes DEO domum deduxit, & librali vietu recreavit. Obtinuit etiam Pater, quod volebat, quódque a Turcis se consecutum desperabat; illi namque continuò prodebat, quibusnam in navibus captivi Nationis Germanicæ delitescerent, & sub quorum dominio hærerent. Nomen, conditionem, ætatem, gentem, & patriam cuiuscunque indicabant, aliáque ex ordine manifestabant, quæcunque Pater scire cupiebat. His perceptis ostensam indaginem secutus latentes captivos perquisivit, invenitque complures, prout a senibus, quos nuper redemerat, edoctus fuerat. Eos, postquam navim aliquam descendisset, nomine quemque suo evocavit, restitantes heros Magni Sultani Diplomate perculit, illósque ad vendenda mancipia adegit, atque hōc modō multos quotidie a servitutis calamitatibus absolutos in libertatem afferuit, secumque domum cum gaudio reduxit; Turcīs impediò mirantibūs, nec satis rem capientibūs, qui fiat, ut Pater Germanos captivos tam sagaciter odorari, quinimo singulos de nomine compellare valeret.

II. Crescente in hunc modum redemptorum numero Pater aliam adhuc domum pro eorum habitatione conduxit. Ad utramque duo Janissari excubias agebant, partim ut fides publica servaretur, partim etiam, ut ad nostros refugi arcerentur; quamvis postremum hoc non semper impediri potuerit, quòd captivi, quibus ipsa miseria ingenium acuit, modum invenerint, excubitorum vigilantiam eludendi, & clam in dictas domos penetrandi. Hoc licet multis saluti fuerit, alii tamen in hisce latebris quæsitam securitatem non invenerunt; detecti siquidem hoc configisse, a dominis suis repetebantur, quos reddere fuit necesse, aut præsenti ære redimere, ut pluribus contigit. Mancipia verò aliarum nationum Veneti, Ligures, Sardi, Corsi &c. quæ repellebantur, cum redemptionis spe se frustrata viderent, in extremam desperationem acta non solum heris suis refractaria se & contumacia præbebant, sed etiam eis, sibi necem minabantur. Adeò illa misera mancipia projectam vitam habebant. Quapropter ex Turcīs nonnulli ejusmodi comminationibūs perterriti, & qui non immerito metuebant, ne a desperatis sibi grande aliquod damnum immineret, eosdem leviore etiam pretio vendere maluerunt, imò & nostros sèpenumerò rogaverunt, ut eos emerent, atque adeò se ab improborum servorum maleficiis & insidiis liberarent.

III. Tam prospero Redemptionis successu Pater exhilaratus, ipsos quoque redemptos suæ lætitiae voluit esse participes; in ipsis siquidem Natalitiis CHRISTI Redemptoris festis Pater omnes

Nnnnnnn

suos

1720.
Cur senes redi-
mendi.

Dux domus
redemptis
impleri.

Quidam ob
desperatio-
nem redemp-
ti.

Tumultus fac-
ter redemptos
oritur, & fac-
datur.

8720.

suos libertos lautō conviviō recreavit : sed quod aliis in refrigeriū cessit, alii in suam verterunt perniciem. Erat reliquos inter homo de secta Calvini, atrox facie, & mente turbidus. Is in ipso festo S. Stephani Proto-Martyris, quō omnes lautē habebantur, circa vesperam, postquam merō incaluisset, in acerrimas contentiones & jurgia prorupit. Verisimile fuit, eum facinus pridem meditatum vinō firmare voluisse, illudque datā operā in hoc tempus distulisse, quō recuperata libertate licentiū grassari posset. Ferocientem multi monuerunt, daret religioni præsentis Festi, daret hoc publicæ hilaritati, & a jurgiis ac litibus ferendis sibi temperaret, aut saltem alios quiescere fineret. Verū surdo id fuit fabulam canere. Nihil ille mitior factus magis etiam insanire perrexit : unde cùm violentas jam manus aliis injicere pararet, Pater, ut turbulentum hominem compesceret, manus ejus, pedesque vinciri jussit. Diu nemo furentem aggredi ausus est. Tandem resumptis animis quidam eum humi prostraverunt, & injectis loris ligarunt. Alter quispiam id ferens indignè vastos clamores excitat. Tertius etiam audentior immani vociferatione ligatum solvit. Hoc factō tres isti se subitō ex hypocausto proripuerunt, cùmque fores atrii noctū jam obseratas animadvererent, perfractō septō in hortum vicinum evadunt ; quos secutus P. Andreas conatus est benevolis verbis ad officium revocare, sed illi manu sacra lega sublatos e terra lapides, tanquam ea die, cuius agebatur nox subsequā, S. Stephani historiam in extemporanea tragœdiæ scena mundo rursus producere voluissent, inter sexcentas execrations & blasphemias in eum jactarunt, ut proinde bonus Pater sibi præpete fuga consulere debuerit. Ille porrò, qui primus suis clamoribū tumultum excitaverat, dum sepem alteram transfilit, pedem sibi gravissimè læsit, cùmque duos alios subsequi non valeret, necesse habuit, eam noctem non procul ab horto sub cœlo frigido transfigere, pœnásque suæ petulantiae dare. Sed vexatione, ut Propheta loquitur, dante intellectum, ille sequenti manè ad saniorē mentem redivit, Patrique supplex factus facile veniam delictorum, quam postulaverat, impetravit. Cæteri duo, dum in cœpta fuga obfirmatis animis perseverant, in Virum Armenum nostris familiarem inciderunt, a quo agniti, interrogatique, quō intempesta nocte tenderent, ferociter responderunt, se CHRISTI fide abjurata Mahometi nomen datus. Rogati ut ad domum suam tantisper diverterent ob ingentia pericula, quibus in plateis noctū essent expositi, protervè abnuerunt : alter nihilominus digestō vinō tempestivè resipuit, factique pœnitens sequentibū diebus ad alteram captivorum domum reversus est, pudore namque suffusus Patrem rectā adire timuit. Interrogatus de socio Calvinista? respondit, certum esse, eum ad Turcas defecisse jam Mahometis Sectarium ; ignotum sibi tamen, ubi nunc lateret, se quoque ad fidei apostasiam ab eo solicitatum fuisse, verum a tanto crimine abhoruisse, renuisséque. Petiit deinde sibi culpam dimitti, agnitaque ejus sincera pœnitudine æquè veniam meruit.

S. Stephani cap. 28.
n. 19.

IV. Verum mirabiliter DEI Providentia, qui Redemptionis facultates peculiari protectione custodit, perditus ille homo tandem malo suo fuit repertus, quod sequenti ratione contigit: Puer in contubernio P. Redemptoris degebat gente Graeca, a parentibus idcirco nostris commendatus, ut sub cura eorum in Germaniam proficisceretur, ibidemque in Christiani hominis officiis institueretur; verebantur enim parentes, ne, si puer inter barbaras gentes adolesceret, in hominem sceleratum evaderet. Observavit Pater in puero praeclaram indolem, egregiasque ingenii dotes, hinc eum etiam libenter in suum contubernium admisit, ac Doctrinam Christianam, bonisque moribus excolendum suscepit. Accedit, ut puer ille quadam die licentiam peteret parentes invisendi, quam obtentam dum juxta litus maris ambulat, vidi navim in Asiam quantocum velata facturam, onerari. Haec ille, dum puerorum more defixis oculis diutius contemplatur, conspicit transfugam illum Calvinistam, qui a nostris secesserat, inter alios navim subire. Properè itaque accurrit, clamatque, hominem istum in navim ne admitterent, & ad Janissaros litoris custodie præpositos conversus: *Heus vos, inquit, istum retinete mibi bene cognitum & perspectum, qui a Patribus Redemptoribus Cæsareæ Legationis emptus clanculum aufugit, diuque quæsus inveniri haud potuit! Hunc interim custodite, donec ego rem Patribus nunciavero, responsumque accipias.* Expalluit ad haec scelestus ille, sed de secta noviter assumpta confisus Mahometanum se esse clamavit, & nequaquam Christianum. Navarchus animi dubius, cum non dispiceret, cui fidem adhiberet, hominem majoris securitatis gratia Janissaris custodiendum reliquit: puer autem omissa parentum visitatione celeriter domum reversus, nostris quid sibi accidisset, exposuit.

V. Mittitur confessum P. Andreas cum interprete ac Janissaro domus nostræ custode visurus, an res ita se haberet, ut puer nunciaverat. Vadunt, veniunt, nec aliter reperiunt. Causa devolvitur ad Proto-Vezirium; monentur custodes Janissari, hominem non sinerent elabi. Sequenti die Pater cum Magni Orationis interprete hominem illum custodibus septum ad Proto-Vezirium adducit, de accepta injuria, hominisque malitia expostulat, & justitiam implorat. Proto-Vezirus jubet hanc causam deferri ad Kadi sive Judicem, ut ille, quod æquum fuerit, decerneret. Omnes simul ad Judicem progrediuntur. Iterum Pater accusationem redorditur, & jus dici postulat. Reus ex adverso se citra culpam in crimen vocari conqueritur, multaque de sua innocentia differit. Judex interrogat, num *jaurum* id est infidelem, an Musulmanum se profiteatur? Respondit ille: Musulmanum. Ad haec Pater contra replicuit, impræsentiarum minimè controverti, an homo iste Musulmanus esset, sed an ei fas fuerit invitò Dominò aufugere? Suâ nihil interesse, quamcunque demum religionem ille profiteatur, modò lytrum pro eo expensum sibi restituatur; cum enim nostro ære ex triremibus redemptum fuisse, adeoque in emptoris dominium transivisse. Hærebat Judex ad ista, seseque variè torquebat, ut reum ab aperto scelere

1720.
Transfuga de-
tegitur.

Ad Judicem
causa devol-
vitur.

Fit aeris dñe
scopatio.

1720. eximeret. Dum unguis rodit, mentemque colligit, querit tandem, unde constaret, cum emptum fuisse? Pater actum syngrapham depromit, ubi absque omni ambiguitate fatebatur praeteritus herus, hominem talibus signis notatum legitimæ emptionis jure & persolutâ pretiô nostris ab se in manus traditum fuisse. Quid igitur, infert Judex, Pater cum Musulmano litigat, quem ad Christianos traducere non licet? Pater respondet, se non postulare hominem, qui a CHRISTI Fide descivit; sed velle, quod æquum est, videlicet expositi pro eo lytri compensationem, si' autem, ut pro alio Christiano captivo commutetur, vel tanquam mancipium, quod antea fuit, vendatur, cuius pretiô alter Christianus captivus emi possit. Nibil borum, reposuit Judex, cum Musulmano fieri potest: video tamen, quid Leges nostræ in tali casu decernant. Dixit, & volumen arripuit, cuius folia, cum aliquamdiu pervolutâsset, & legenti similis inspexisset, clausô demum librô justam esse Patris postulationem pronunciavit: hominem itaque haberet, a quo si lytri compensationem obtainere nequiret, integrum ei maneret hunc aut pro alio captivo permutare, aut sub hasta vendere. Repereritne Judex hanc legem in illo suo volume; mali namque mores etiam inter Barbaros bonas leges parciunt, an verò eandem se legisse finxerit, ut sententiae suæ in eventu tam singulari majus pondus adjiceret, fas esto cuivis sentire, quod libuerit; æquam tamen fuisse nemo negabit, & Redemptioni valde proficiam, simul etiam in aliis hujusmodi occasionibus & casibus exemplo futuram. Cavit solerter Judex, astuta vulpes, ne præsente Cæsarea Legatione, cuius utique respiciebat Autoritatem, causa hæc ad aliud tribunal devolveretur, ubi iniquitatis suæ sententiam graviter lueret.

*Transfuga
venditur, &
pretium recu-
peratur.*

VI. Ut igitur Pater transfugam hunc recepit, eundem sub iisdem custodibus abduxit: equidem jucundum ei fuisset, si illum confessim pro alio captivo Christiano commutare potuisset, ut impius apostata transiris rursus innecteretur. Verum nemo Navarchorum pro mancipio notæ infidelitatis Christianum captivum commutare voluit. Necesse proinde fuit eum ad Bezestan, sive forum, in quo mancipia venduntur, perducere, ad quod cum Pater accessisset, primo a rerum ignaris repulsam tulit, sed postquam Janissarus noster, & alii cum fide asseverâssent, mancipium ex sententia Judicis vendendum adduci, illicò fuit admissus, & desertor præconi sive proxenetæ traditus, qui hominem vultu tristem & torvum, animoque dejectum apprehendit, illūmque per forum circumducens proclamavit, hunc fuisse Christianum redemptum, nunc factum Musulmanum, & ex sententia Judicis vendi. Non procul iverat, dum unus ex circumstantibus Turcis centum piastras pro eo obtulit; producta tamen licitatione supervenit alter, qui huic pretio aliquot piastras addidit: cum nemo reperiretur, qui plus dare vellet, huic e vestigio numeratō pretiô mancipium in potestatem cessit. Sic tota lis aliquot inter horas transacta fuit. Nostrí recuperatâ pecuniâ, pro scelerato hoc flagrione expensâ, alium e triremibus captivum magis frugi hominem redemerunt.

VII. Cæ-

VII. Cæteri porrò redempti, qui in utraque domo degebant, quotidie ad militaris tubæ signum in domestico P. Redemptoris Sacello convenientes Missæ Sacrificio adstituti monebantur crebrius, ut Sanctissimæ TRINITATI pro consecuta ab innumeris calamitatibus redemptione debitas gratias persolverent, & pro Benefactoribus, qui ad eorum libertatem subsidia contulerant, devote orarent. Præterea Dominicis & Festis diebus post peractam Liturgiam eodem in sacello admodum Reverendus P. Josephus Lovina Societatis JESU Sacerdos, Cæsaream Legationem Viennæ Constantinopolim usque secutus, zelô Apostolicō ad eosdem redemptos idiomate Germanico de Christiani hominis officiis ac institutis sermonem habuit, incredibili indè fructu in animos auditorum redundant, quorum multi ad peccatorum pœnitudinem ac detestationem commoti insignia emendatioris vitæ & Christianæ pietatis specimina ediderunt. Tandem in sacra luce Sancti Patris Nostri JOANNIS de MATHA, VIII. mensis Februarii, cum P. Redemptor Sacris operaretur, Cæsareæ Legationis Musici, a nemine vocati, sponte sua ad idem Sacellum convenerunt, & insigni erga Sacrum Ordinem nostrum observantiâ Festum illud exquitiâ symphoniam celebrarunt.

1720.
Ad pietatem
instituuntur
redempti.

Festum S. P.
N. JOANNIS
de MATHA
devotè Con-
stantinopolis
celebratur.

C A P U T X.

Iter Constantinopolis Viennam instituitur.

I. **A**d verni temporis initium, cùm Magna Cæsaris Legatio proximè Viennam reditura dicereretur, P. Redemptor aliquot diebus eam præcedere statuit, quod consilium ab omnibus tantò magis probabatur, quantò securius iter nostris hōc pætō parabatur, quibus imminens a tergo Magna Legatio semper præsidio esse poterat. Evidem multos jam redemptos Venetarum navium operâ in patriam remiserat P. Redemptor, trecenti tamen etiamnum supererant, quos per longam admodum, difficilēmque viam sustentare oportebat. Ante omnia autem necessarium erat Salvi Conductūs, sive publicæ fidei Litteras impetrare: item carros cum equis aut bubalis conducere, quibūs redempti usque ad Cæsarearum Ditionum confinia deveherentur: utrumque Virmondii Magni Oratoris operâ Pater cumulatiūs est consecutus, quām sperare potuisset; Litteræ siquidem Salvi Conductūs præter solitum alijs morem locorum Præfectis injungebant, ut non solūm nostris tutas ab insidiis vias præstarent, verū etiam hospitia gratis concederent, vietualia altiore pretio præter solitum minimè venderent, vecturas pro omnibus usque ad Romanorum Imperatoris confinia gratis pariter suppeditarent, solicite caverent, ne quisquam nostris molestiam inferre præsumat. Ut autem ista sanctiūs observarentur, voluit Turcarum Imperator, ut a singulis Præfectis locorum, ad quæ Redemptio erat perventura, Constantinopolim mitterentur Præfectorum nominibūs subscripta testimonia, quatenus constaret, mandata Magni Sultani ad unguem, ut ajunt,

Rediens ador-
natur.

Salvi Condu-
ctus Litteræ
& currus im-
petrantur.

Ooooooooooooooo exple-

1720.

expleta fuisse. Redemptioni porrò aula Turcica duos Chiausios seu Centuriones adjunxit, qui duorum vices agerent, simul & Imperialium mandatorum executionem urgerent.

*Altera pars
Redemptionis
in Tartarium
destinatur.*

*Sultani bene-
ficiencia.*

*Feminae in
10. testis cur-
ribus vehun-
tus.*

*11. Aprilis
Constantino-
poli lati di-
scendunt.*

*Græcorum
Aurigarum
arbitritas.*

*Allii 10. redi-
muntur capti-
vi.*

*Selymbriam
perveniunt,
ubi prima vi-
ce ad Sultani
mandatum fit
examen.*

II. Cæterum cùm pro captivorum Redemptione magna adhuc pecuniarum vis suppeteret, P. Andreas cum Socio Fratre Dionysio Patris Redemptoris consilio in Budziakensem Tartariam destinatus fuit, ut ibidem quotquot posset, Germanicæ Nationis captivos redimeret. Reditum deinde adornanti Patri Redemptori Magnus Sultanus singulari benignitate quadraginta currus cum totidem aurigis submisit, qui ad expensas ærarii sui liberatorum turbam Adrianopolim deveherent; voluit nimirūm Sultanus hōc beneficentiae exemplō cæteros incitare, ut mandatis suis majori promptitudine obsequerentur. Ex his quadraginta curribus triginta meliores bubalis jungebantur; decem alios, Turcico more undique tectos, equi trahebant, in quibus mulieres & puellæ vehebantur; mos enim apud Turcas est usitissimus sexum fœmineum specialiter custodire, eūmque curribus ex omni parte obvelatis imponere, ne quæ foris sunt videant, nec ipsæ intus videantur, atque sic omnis sequioris conversationis licentia & occasio petulantiae tollatur. In itinere autem præcedebant fœminæ, viri sequebantur.

III. Dies erat undecima mensis Aprilis, quando manè sub ipso solis ortu currus plenō numerō, & omnia pro auspicando itinere sollicitè præparata fuerunt. Sumptō tandem prandiō amicis & Legationi valedixerunt, ac deinde inter faustas comprecationes lœti omnes, alacrésque Constantinopolī discesserunt. Memorable est, ipsos quoque Græcos aurigas tantis gaudiis incessisse, ac si amicos intimos, & charissimos necessarios suos in diu desideratam patriam reducerent. Remansit in urbe P. Andreas cum Fratre Dionysio, qui post discessum P. Redemptoris relictis prioribūs ædibūs ad Cœnobium Ordinis Divi Francisci Minorum Terræ Sanctæ commigrarunt, ibidēmque temporariō hospitiō recepti fuerunt, usque dum in Tartariam, ut jussi fuerant, abirent. Hi, dum se ad novam expeditionem accingunt, decem interea alios captivos redemerunt, & retentis septem ob rationem inferius adducendam, tres reliquos P. Redemptori submiserunt, qui accelerato itinere eum ad Adrianopolim Romaniae asscuti fuerunt, ibique cæteris sese adjunxerunt.

IV. Primo itineris die extra urbis Constantinopolitanæ portam, quam Adrianopolitanam vocant, lentè processerunt, & fixis haud procul indè in campo primis castris primam noctem sub tentoriis exegerunt: parcere nimirum jumentis voluerunt, ne in ipso statim itineris initio nimis lassarentur. Sequenti luce ad auroram alacrius viam resumentes *Taut Baffa, Bidas, Aia Stephani & Cziflick* (loca sunt in agro Constantinopolitano) transiverunt, vesperi verò ad oras Propontidis sive maris marmorei (hoc nomen accepit ab exquisitis marmoribus ibidem enascentibus) pervenerunt. Ad decimam quartam ejusdem mensis Aprilis *Selymbriam* ingruente jam nocte attingunt. Altera die benè manè adfuit loci

Præfe-

1720.

Præfectus cum testibus, qui P. Redemptorem in præsentia Chiau-
sorum nostrorum interrogavit: num omnes eodem numerò huc
venerint, quō Constantinopolim egressi fuerant? An omnes sani
ac incolumes? Si aurigæ suo munere ritè perfuncti fuerint? id
est, nullibi se detinuerint & profectionem maturaverint. Victua-
lia majorine pretiō quām alii solvere debuerint? Num assignata
hospitia eis satisfecerint? An Chiausii viarum duces & custodes
secundūm possibilitatem officium suum impleverint, & iter no-
strum promoverint? Hæc mandatorum capita loci Præfectus no-
stris prælegit, & ad singula responsum petiit, injectaque conscienti-
tæ religione nostros obligavit, ne quidquam celarent, esse Magni
Sultani Mandatum severissimum, ut in locis, quæ transeunda oc-
current, secundum hanc normam examen instituatur, & responsa
ad ipsum mittantur. Cùm P. Redemptor nullam haberet quere-
lam, omnia sibi abundè ministrata respondit, nec in ulla re defe-
ctum fuisse. Ad hæc, ne fraus vel dolus succedere posset, ipsi
duo Chiausii & adducti testes in testimonium veritatis nomina sua
singillatim subscripserunt.

V. Continuato deinde aliquot dierum itinere circa meridiem Adrianopolim sunt delati. Erat inter redemptos signifer; is Cæ-
sareum, quod secum habebat, vexillum explicans reliquum agmen
præcessit, tubicine vestigia ejus premente, & læto clangore bucci-
nam inflante. Hos cæteri in suos ordines digesti, mulieribūs in me-
dium receptis, subsecuti fuerunt, atque hâc formâ urbem intrârunt.
Quia verò hîc loci remittendi erant aurigæ Constantinopolitanî,
& alii in eorum locum substituendi, triduanam ferè moram fece-
runt, & intreâ ab emenso decem dierum itinere respirârunt. Ab
hinc viam prosecuti post quinque dies Philippopolim eodem quo
Adrianopolim ordine sunt ingressi. Hic rursus, quod & Adriano-
poli contigit, inquisitio circa observationem mandatorum Sultani
instituta fuit: nemo tamen habuit, cur conquereretur, cùm ubique
res largè suppeditarentur, cuius illi scriptum testimonium post se
reliquerunt. Sequenti die id est vigesima octava mensis Aprilis
iterum quieverunt, ut locus daretur alios aurigos cum curribus
& jumentis adducendi.

VI. Secundâ Maji Sophiam subierunt, ubi cum præparatos
jam currus invenissent, sequenti statim luce se denuò in viam de-
derunt. Quartâ post meridiem horâ Janu Bulgarorum oppidum
ingressi substiterunt, atque peregrinîs loci spectaculis animum re-
creavere; eo namque tempore Bulgari Festa Paschalia celebra-
bant, quæ hîc anno uno mense & tribûs diebûs apud Græcos, qui
correctionem Kalendarii non sequuntur, tardius quām apud Latini
nos inciderant. Erant Nundinæ, ad quas ex vicinis locis vario ve-
stitu aliquot accolarum millia confluxerant. Homines ferè duecenta
ti utriusque sexûs in foro choreas agebant, seseque manibûs invi-
cem complexi in orbem saltabant. In medio eorum stabat unus,
qui tympanum pulsabat, alter autem inflabat tibiam incondito &
barbaro sonitu horrori magis quām voluptati ciendæ idoneo, quō
tamen ipsi adeò affiebantur, ut sudore per artus desfluente ad

Adrianopolim
& Philippo-
polim ingre-
diuntur.

Sophiam per
veniunt.

Janu Bulga-
rorum oppia-
dam;

1720. lassitudinem usque thiasum suum desaltarent. Adstabant Turcas saltus arbitri, qui si vinō quemdam ebrium conspexissent, confeſtim ad supplicium trahebant, ejusque temulentiam centum flagris mulctabant. Aderant & alii duo Popæ, eorum sunt Sacerdotes, qui si aliquos perfractis modestiæ limitibus lasciviùs agere viderent, eorum colla cyppo includebant, cogebantque in gradu persistere, donec a pueris subsannati, & variis contumelias affecti fuissent; cum enim illi incurvato corpore pronoque in terram ore stare deberent, pueri dorsa eorum infilientes ad instar jumentorum circumagebant, eosque sexcentis ludibriis & ignominiis afficiebant. Tam ignobilis spectaculo nostri celeriter satiati in tentoria sua se receperunt, in iisque noctem egerunt.

Ad Nissam singulari comitatem recipiuntur,

VII. Nissam deinde, quod est postremum Turcarum Præsidium, contendentes necesse habuerunt condensa nemora & asperrimos montes transcendere. Metus pariter ab insidiis latronum impendebat, ut proinde unus Chiausiorum nostrorum omnes moneret, ne quispiam longius ab agmine recederet, ni prædonum manus incidere vellet. Non de nihilo fuisse hanc solitudinem testabantur passim inhumata jugulatorum cadavera, crania & ossa arida per valles dispersa. Quotquot igitur robore, viribusque præcellebant, nodosos sibi fustes, sudésque in eodem nemore exciderunt, ut se, totamque catervam his armis tutarentur. Ita præmuniti & præmoniti iter Nissam continuant, quos non procul ab urbe Nissensis Præfectus cum duabus suorum militum cohortibus, in aciem dispositis, excepit. Is ut primum P. Redemptorem conspexit, eum comiter salutavit, & rara civitate eundem benevenisse gratulatus est. Significavit præterea Sultani mandata sibi jam innotuisse, bono itaque esset animo, se enim non paſlurum, ut quidquam jure desiderare posset. Addidit pariter se redemptis de consecuta libertate ex corde gratulari; omnia ad eorum commoditatem esse parata, irent proinde & superato Nissæ flumine ad designata hospitia progrederentur, quæ quidem in morem castrorum sub tentoriis ad urbis agrum sint disposita. Ergo Turcarum militum agmen præcedit, Signifer noster fluente per aërem vexillo duobus stipatus tubicinibus (alter enim sub itineris decursu accessit) subsequitur. Huic successerunt redempti decenti ordine ingredientes, quidam etiam curribus subvecti, hos excepit altera cohors Turcicorum militum, qui modestam hanc Redemptionis pompam clauerunt. Hoc modò per medium Nissensis Præsidii spectante innumerabili hominum multitudine transiverunt.

Ibidem coena
et nox sub
tentoriis agi-
tur excubias
observantibus
Janissariis.

VIII. Alteram urbis partem egressi in latam planiciem per venerunt, ibidemque tentoria sua ingressi sunt. Saginatus bos pro eorum coena destinatus in fune hærebat: lignorum quoque variæ strues æquò intervallò ab se invicem sejunctæ proftabant: Rasciani regionis illius incolæ aquam afferebant. Saginatus bos macratur, purgatur & in frusta secatur: partes in ferventis aquæ caldarium mittuntur & elixantur. Panis viritim distribuitur, coctæ demum carnes per turmas apponuntur, quæ magna convivarum hilarit-

hilaritate in illa cœna absumptæ fuerunt. Hīs lautitiis Nissensis Gubernator redemptorum agmen exceptit, quam illi comitatem alibi nusquam experti fuerunt: quo frugali symposio Turcae testari voluerunt, quām sincerè pacem & amicitiam cum Christianis colere desiderarent. Inclinante ad occasum sole quinquaginta supra centum Janissari tentoria nostra circumdederunt, ut eisdem a nocturnis grassatorum insidiis securitatem præstarent. Ipse quoque Nissensis Gubernator noctem illam suo sub tentorio exegit, quatenus ad omnem eventum nostris suppetias ferre posset. Si alicui necessitas incubuisset e castris egrediendi, unus semper Janissarus eum comitabatur, & ad tentorium reducebat. Hanc inusitatam civilitatem cū nostri impediō demirarentur, Nitscholdus Interpres significavit, se a Gubernatore Nissensi auditivisse, idē hoc fieri, quod in civitate, ac omni vicinia multi plagiarii, bipedum nequissimi, versentur, quorum audaciæ coercendæ tam sollicitis excubiis opus esset, ne aliquem longius a castris separatum clanculum abriperent. Id ipsum Gubernator P. Redemptori disertis verbis nunciari voluit, quem jussit nihil metuere, sed securè quiescere, quod de omnium protectione benè prospectum esset.

IX. Bonos interdum viros etiam inter malos reperiri nota est parcemia. Istud sanè in hac urbe evidenter patuit: Dies erat septima mensis Maji, quā nostri Nissam ingressi ad urbis pomaria constiterunt. Nitscholdus Interpres cū sciret, non ubique pro tanto hominum numero sufficientem inveniri subito posse annonam, eadem die civitatem intravit pro quatuordecim imperialibus panes empturus. Pistor Græcus erat. Hic cum Nitscholdo de redemptis confabulando intellexit, omnem hanc multitudinem operā Religiosorum, qui se huic muneri impendunt, persolutō pretiō e captivitate fuisse redemptam: majorem in modum admiratus est Græcus ille Pistor, tantam charitatem in mundo reperiri, promis itque hac eadem nocte sexcentos se panes cocturum eosdēmque in eleemosynam redemptis distributurum. Sequenti manè nostri minimè expectato pistore iter sub ortu auroræ ulterius sunt prosecuti: verū ille curru sexcentis panibūs onusto paulò post supervenit, cūmque nostros e castris jam migrasse videret, ad velociorem cursum impulsis equis post medium horam eos est assecutus & panes adhuc a furno calidos flagrantiore charitate distribuit. Ingens sanè Græci hominis fides & beneficentia.

X. Lentis in hunc modum itineribūs proficiscentes ad confinia Cæsarearum Ditionum contenderunt. Nissensis Gubernator abeuntibus sub duobus vexillis viginti prætorianos milites adjunxit, qui nostros comitarentur; scatent enim illa loca non paucis latronibūs, metuendūmque erat, ne in cuneum juncti in nostros irruerent; feliciter tamen sub noctem Alexintzam oppidum attigerunt. Dies sequens Maji nonus erat, in quem incidit hoc anno festum Dominicæ Ascensionis: itaque P. Redemptor erectā sub tentorio arā, convocatisque pro more militaris tubæ signō

P p p p p p p

redem.

Græci Pistoris
in redemptos
beneficentia.

Redemptio
Cæsareis con-
finiis appre-
pinqua,

1720.

Turcarum vi-
olentia peri-
culum mina-
tur,

Turcas ultra
limites pro-
gredi renu-
erat.

Tandem con-
sentient rati-
onibus.

Cæsaris Regi-
ones ingredi-
untur.

Chiausius pru-
denter Nit-
scholdium pre-
venit, &
ejusdem re-
sponsa.

redemptis Ecclesiastici præcepti implendi causâ Missæ Sacrificium celebravit: id quotidie fecit, quando licuit, Dominicis præsertim Festisque diebus. Observatum est autem, stipatores Turcas eo tempore, quo Divina peragebantur mysteria se vinō ingurgitasse. Id inter virgulta ex inconditis eorum clamoribus innotuit: timendum proinde erat, ne temulenti homines, audaciā effrenes, & locorum solitudine freti maleficium tentarent, ideoque in omnem eventum ex redemptis non minus quinquaginta viri, prægrandibus fustibus armati, Patris Redemptoris currum stipabant. Tandem post laboriosam peregrinationem ad illum locum pervenerunt, unde haud procul tres ligneæ columnæ, Cæsarei & Ottomannici Imperii terminos, ad quas superiore anno utriusque Legationis facta fuit permutatio, conspici poterant. Priusquam aurigæ huc appropinquarent, ceu in ultima Turcici territorii plaga constituti animalia solverunt, ut in hisce pascuis pabularentur, quō factō demonstrarunt sibi propositum esse limites non transgredi: id magis eluxit, postquam ipsos etiam currus exonerare cœpissent; tunc enimvero pleniū patuit, illos velle reverti. Intelligens autem P. Redemptor, quæ in omnes suos pericula ex tam intempestivo aurigarum discessu redundare possent, conatus est illos blandis verbis inducere, ut usque Barakinum vicinum Cæsareæ Ditionis oppidum currus proveherent. Negabant illi, id sibi licere, quibus jam pridem prohibitum fuisset limites transgredi. Reposuit Pater præceptum non ita strictè intelligi debere, sed cum grano salis, & ad mentem Legislatorum, qui in simili casu Barakinum oppidum metam itineris esse vellent, ubi in eorum locum alii aurigæ essent successuri. Hac ratione ægrè tandem persuasi Patris voluntati morem gesserunt.

XI. Igitur Nitscholdus Interpres cum Turca Chiausio nostro præmittitur, qui Redemptionis adventum nunciaret, & virtualia pro tota caterva pararet. Hi dum in transitu ad tres supra indicatas columnas pervenire, Chiausius Nitscholdum sistere rogat, & sic infit: *En, amice! Constantinopolis usque ad Christianorum confinia te, tuisque adjuvante Numine feliciter perduxi. Jam verò nulla est mibi potestas ductoris officium ulterius exercendi. Præcede igitur, meumque nunc age ductorem, & quemadmodum ego vobis fideliter ubique opem tuli, ita nunc vicissim, ut tu mibi optuleris & eandem fidem præstes, velim: tuum jam erit me protegere, sicut ego vos prius omnes protexi.* Cui Nitscholdus breviter in hæc ferè verba respondit: *Amice, securus esto! amicas terras ingredimur, nihil est hic contra sincerissimam benevolentiam metuendum; ibis nunc ad meos, & ad tuos indemnus redibis.* Exinde limites transgressi Barakinum proprius accedunt. Extra vicum prominebat suffixum signum, quō propter contagionis metum monebantur advenæ, ne propius succederent, donec per quadraginta dierum stativa sanitatem suam comprobassent. Ambo hic igitur gressus fixerunt, & Nitscholdus tubæ sonitu significavit colloquium se petere. Loci Præfectus nihil cunctatus statim in eorum occursum properavit, salutationisque officiis perfunctus quæsivit: unde venirent, & quid vellent?

1720.

vellent? Cùm autem Nitscholdo referente didicisset, Patrem Redemptorem advenire, statim sciscitatus est, quotnam redemptos secum adduceret? ajebat enim sibi ab Odwirio mandatum fuisse singulis militarem victùs portionem præbere. Post duas horas Pater cum toto agmine suo ad oppidum venit. Attulerat autem loci Præfектus quadringentos & quinquaginta panes majores, ut in triduum facile sufficerent, & præterea carnis bubulæ centum quinquaginta libras, quantum nimis pro una die satis esse videbatur; plus enim dare non licuit, ne caro ob immodicos aestatis calores putresceret. Barakinum itaque pervenerunt sub vesperram ejusdem diei in festo Ascensionis Dominicæ, mense integro necdum completo ab egressu Constantinopolitano. Sequenti luce Odwirius Belgradensis Gubernator Barakinum advolavit, magnóque gaudiō Patrem Redemptorem complexus eidem felicem adventum gratulatus est; Pater ex adverso debitas ei gratias persolvit pro liberali annona suppeditata. Missæ deinde Sacrificium exorsus, cui Odwirius cum toto comitatu suo omnibusque adstantibus redemptis interfuit, Divinæ Majestati summas persolvit grates, quòd tandem post iter longinquum Cæsareas Provincias prosperè attigisset. Sacrificiō absolutō cœpit cum Odwirio de ulteriori profectiōne agere; etenim cùm omnes sani ac incolumes comperirentur, nec in suspectis locis fuissent mortati, sed per totam viam in campo sub tentoriis noctem egissent, non putavit Pater committendum esse, ut nunc per quadraginta dies sanitatis probandæ causa in hoc oppido hærerent. Odwirius, et si Patri omnimodis gratificari cuperet, severissimis tamen mandatis, a Sanitatis Consilio Viennâ ad se perscriptis, id facere prohibebatur, ne tamen Patris precibus nihil deferret, & Sanitatis Consilio aliqualiter satisfaceret, indictivam quadraginta dierum stationem in octo dies permutavit, & redemptis interea ex annaria Cæsaris Domo liberalem victum assignavit.

XII. In vigilia Pentecostes currus ad ulteriorem profectiōnem submissi jam in procinctu stabant. Iter per Cæsareas Regiones illis accidit eò jucundiùs, quò propius patriam prospiciebant. Moravam fluvium transmisuri, cùm ponte destituerentur, quem Tartari post cæsas nuper ad Belgradum Turcarum copias exusserant, ne a Cæsareis in fuga deprehenderentur, cymbas successivè concenderunt, lentoque trajectu post quinque tandem horarum spatiū omnes in adversa ripa constiterunt. Ingruente nocte Jagodinam attigerunt, ubi Odwirius P. Redemptorem secundò perurbaniter recepit. Redempti propter currus extra oppidum sua fixerunt tentoria noctem sub iisdem acturi.

XIII. Sequenti Dominica Pentecostes post celebratum Missæ Sacrificium annona singulis distributa fuit in plures dies, universem nempe octingenti & quinquaginta panes & trecentæ libræ carnis; plus namque carnis dare non erat consultum, ne, ut dimisimus, solis ardore corrumperetur. Rebūs itaque omnibus præparatis redempti iter rursus sunt auspicati; Pater verò ad preces Odwirii ibi etiamnum aliquot horis diutiùs remansit, suósque

Benigne recipiuntur.

Fluvium Moravam cymba transmisunt.

Belgradum veniunt & honorifice nostris sociis piuntur.

Pppppppp 2 deinceps

2720. deinde festinato equorum cursu est subsecutus. Post triduum, tertiam videlicet feria Pentecostes vesperi circa horam sextam Belgradum pervenerunt. Tunc primò Scapulare Ordinis, ut moris est, redempti palam in pectore præferre cœperunt. Ingressus Redemptionis a nostris ibidem degentibus Religiosis omni possibili splendore adornatus fuit. Redempti ad Templum nostrum deducti, postquam DEO Redemptori gratias persolvissent, partim in civium domibus magna charitate recepti, lautèque habiti sunt, partim in foro sub erectis tentoriis hospitium, & a Domo Ordinis nostri victimum acceperunt: profusa fidelium liberalitas fecit, ut omnibus abundè necessaria ministrari potuerint, & quod mireris, ipsi quoque Hebræi ad reficiendos redemptos symbolum suum contulerunt, ut potè, qui pro eorum alimonia aliquot vini urnas, decem verveces & centum panes submiserunt. Postera dies, secunda nimirum & vigesima mensis Maji, eorum quieti data fuit, quâ tamen Hungari, Croatæ ac Transilvani cum Litteris & viatico dimissi sunt, quod patriæ suæ vicini facilè jam negotiò eò pervenire possent. Cæteri in quatriduum ex Cæsarisa Annonaia Domo panes obtinuerunt, & posteà iter Semlinum promoverunt. Hic mutatis curribus & jumentis juxta litus Danubii per dies quinque & viginti, relictis ex altera ripa Comaromiensi & Posoniensi Cœnobitis nostris Viennam Austræ properarunt. Cæterum cum in hac via nihil, quod memoriam dignum sit, eis occurrit, neque nos illorum itineri describendo diutiùs immorari voluimus.

Viennam per-
veniunt.

XIV. Decima sexta die mensis Junii omnes Viennam tenuerunt. Sequenti luce post meridiem eis Religiosa Communitas nostra obviā processit, illósque eadē prorsus viā, & modō, sicut saepius in hujusmodi occasionibus jam memoravimus, supplicantum ritu cum cruce ac labaris inter confertissimam spectatorum multitudinem ad nostrum Templum deduxit. Ad concionem dixit P. Lucas a S. Nicolao Ordinis nostri Religiosus. Solitæ posteà gratiarum actiones Sanctissimæ TRINITATI decantatæ & redempti lautiore cœna recreati fuerunt, quâ absolutâ per ci-vium ædes gratuitum obtinuerunt hospitium. Centum hi numerò erant & quadraginta, quos P. Redemptor per quindecim adhuc dies aluit, ac demum Litteris & viatico donatos, in patriam quemque suam remisit.

Armeni Ca-
tholicæ fidei
uniti addu-
suntur.

Eorum no-
mina.

XV. Cum hac Redemptione quinque etiam Armeni ex Thracia venerunt, qui abjuratis schismatis erroribüs ad unionem Ecclesiae Romano-Catholicæ rediverunt, non quod ipsi a nostris redempti fuerint, sed quod hanc occasionem in terras Christianorum profiscendi negligere noluerint. Libet eorum nomina subnectere, quæ sunt sequentia, scilicet: Joseph Isaac, Theodopolis natus in Armenia, Diaconus annorum quadraginta trium. Stephanus Cracuolo, natus Athenis, Clericus quatuor minorum Ordinum, ætatis annorum triginta trium. Angelus Timo, Balbastri in Peloponeso natus, ætatis annorum viginti septem. Andreas de Anatolia ætatis octodecim annorum. Joannes Kesel,

natus

Hebræorum
fa redemptos
beneficiantia.

Remissi suas
quorum pa-
tria propius
erat.

1720.

natus Adrianopoli, etatis annorum quindecim. Orabant hi P. Redemptorem summis precibus, ut sub ejus protectione Barbaras illas regiones exire liceret, quod se impares crederent schismaticorum persecutionibus diutius tolerandis, ac majora sibi pericula præviderent imminere. Ille vero paterno amore eos promptecepit, & per iter Viennam usque liberaliter sustentavit, ac in omnibus eventibus peculiarem illorum curam gessit. Horum tres in Transilvaniam ad ejusdem Nationis Episcopum, Romanæ Ecclesiæ unitum, transiverunt. Alii duo Romam ex voto Sanctorum Apostolorum limina petierunt.

C A P U T XI.

*Altera pars hujus Redemptionis in Tartariam
Budziakensem dirigitur.*

I. **S**uperiùs causas attulimus, cur P. Redemptor redditum suum in Germaniam maturaverit; cum autem magna pecuniæ vis adhuc superesset, Patri Andreæ Socio viginti florenorum milia tradidit, ut hac pecuniâ cæteros, quos posset, Germanicæ Nationis, vel ditionum Cæsareæ Majestatis subditos Constantinopolî redimeret; postea vero in Budziakensem Tartariam transiret, ibidemque, quotquot valeret, Christianos eliberaret. Nec ille delegato munere suo segniter functus est, sed brevi tempore post P. Redemptoris discessum decem redemit, & tres ad reliquam redemptorum catervam transmisit, quam illi non procul Adriano-polî sunt assediti, ut retulimus. Smyrnense negotium ob moras ex moris assidue subnascentes ex integro nondum erat compositum: pro Marquette Medico Lotharingo, & aliis ibidem decem Germanis captivis necesse fuit quatuor millia supra centum florenos expendere, nec de pretii magnitudine conqueri licuit; Hollandorum siquidem Consul alienum negotium minus accurate tractavit, & de corio non suo parum solicitus in Turcas æquò liberalior fuit; sic enim fieri plerumque solet, ut, dum Redemptionis negotium per exterios procuratur, grave semper dispendium Redemptio sentiat, quemadmodum in hac occasione luculententer patuit. Ex illis decem supra memoratis remigibus, Constantinopolî redemptis, P. Andreas tres Patrem Redemptorem subsequi jussit, septem autem reliquos secum Constantinopolî retinuit, ut se in Tartariam comitarentur, tum ut in itinere custodes haberet, qui a fortuitis prædonum insidiis se tutarentur, tum ut ipsis Tartaris ostendere posset, se non alia de causa venisse, nisi propter Redemptionem captivorum, cuius tot testes Constantinopolî adduceret. Decimâ mensis Maji postquam ab Ottomanica Porta Salvi Commeatus Litteras in Tartariam profecturus obtinuerit, illicò duos currus, totidemque aurigas Græcos pro se ac Socio Fratre Dionysio, nec non pro septem suis redemptis, Bukarestum in Valachiam avchendis, conduxit, annonam comparavit, ac Janissarum pro majore itineris securitate mercede adscivit, qui equò vestus ductoris simul officium præstitit.

Constantinopolî alia componuntur negotia Redemp-tionis.

Melius semper per nostros Redemp-tionis negotia peragun-sus.

Qqqqqqqq

II. Post

1720.
In Valachiam
profectum
sue.

Comitas Tur-
carum in tra-
jectu Danu-
bii.

Prima vice ex
turri æra cam-
pana audiunt.

A Principe
Valachie co-
mititer excipi-
untur.

Ad alloquium
Principis invi-
tatur.

Ad Princi-
pem introda-
cuntur.

II. Postquam igitur Patribus Ordinis S. Francisci Minorum pro liberali unius mensis hospitio gratias egisset, eisdemque valerixisset, una cum Sociis in viam se dedit. Profecti sunt autem imprimis Adrianopolim versus, quod tamen non pervenerunt, sed flexo ad septentrionem tramite Hæmum montem adiverunt, eoque superatō vigesimā sextā Maji in ipso nimirum festo Sanctissimae TRINITATIS Russikum ad ripam Danubii pervenerunt, ibique solito mitiores nocti sunt Turcarum Praefectos; isti enim ob pacis reverentiam eorum currus non sunt perscrutati, nec homines numeraverunt, ut alias fieri consuevit, quinimò ne obulum quidem pro Danubii trajectu exegerunt, quæ sanè singularis comitas nostris antea nunquam fuit exhibita. Valachiam ingressi proxima in civitate circa meridiem primum Christiano more exturri æra campana sonare audiverunt, quod eis grande gaudium peperit. Sequenti die inclinante jam ad occasum Sole post tedium quindecim dierum iter Bukarestum feliciter tenuerunt.

III. Hospitalis terræ Principem, Vaivodam appellant, Pates veneraturus ei per stipatorem Janissarum adventū sui causam significavit. Princeps illum ad amicas commodasque aedes juxta palatium suum deduci jussit, & paulò post centurionem submisit, qui Patri Principis nomine prosperum gratularetur adventum. Appositi sunt milites, qui ad easdem aedes honorarias excubias agerent, nostrorum sedulam curam gererent, & omnia compotarent, quæ necessaria videbantur. Post hæc aulicus quidam Minister, qui Principi a Latinis libellis erat (Secretarium vulgo nominant) supervenit cognitus, quot nostrum essent, ut rationes de victu eis suppeditando iniret. Constituta sunt autem in singulos dies panes, carnes, aromata, candelæ & alia, quibus indigeze putabantur. Interim dum idem Minister, qui nostros aliunde ex superioribus expeditionibus jam noverat, cum Patre familiares sermones miscet, tempus coenandi advenit. De promptuario Principis osto fercula, item fructus, aliisque bellaria sive colutea mensæ inferuntur; rogantibus Valachici Principis Ministris, ut, cum Pater inexpectatus advenerit, ac propterea de laetioribus epulis prospicere non licuerit, hæc interim æqui, bonique consuleret. Pater ad eandem coenam invitat Principis Ministrum, qui se perurbaniter excusavit, & sub obtentu negotiorum, in aula expedendorum, discessit. Centurio verò invitatus assedit ad coenæ communionem. Nec ad Patrem solum, sed & ad ipsos quoque redemptos Principis Liberalitas se extendit, quibus cibus & potus ejus jussu in abundantia ministratus fuit.

IV. Sequenti luce rursus adevit idem Principis Minister, quem secuti sunt aliquot viri, adferentes omnis generis altilia, variaque ciborum condimenta; ne autem Patri quidquam deesset, Princeps insuper viginti piastras ei transmisit, ut si quid forte desideraret, paratâ pecuniâ statim necessitates suas sublevare posset. Ad extremum rogavit Patrem, ut, nisi incommode illi foret, ad alloquium suum venire haud gravaretur. Promptus illicè Pater cum fratre Socio & Centurione ad Aulam Principis se contulit, ubi a duobus Bojari-

Bojarinis, sive regionis nobilibus, qui prælongis argenteis virgīs instrūti æquis passibūs præcedentes, iisdem virgarum extremitatibus levi quadam tensione humum feriebant, excepti, & ad Principis conclave deduci fuerunt. Ante fores tamen paululum constiterunt, donec Principi adventus eorum nunciatus fuisset, qui illos confessim ad se ingredi jussit. Aderant ibi familiarium complures, qui omnes præter Primores rerum arbitros ad Principis mandatum exiverunt. Porrò Princeps ipse sub ingressu nostrorum honoris gratiā e solio, cui insederat, descendit, eisque ad quinque circiter passus obviam processit. Peractis reciprocæ salutationis officiis Princeps nostros in præparatis sellis considere jussit. Nullo hic opus erat interprete, quod Princeps præter Vlachicam, Italicam etiam, Gallicam, Græcam & Latinam linguam exactè calleret. Hic Princeps ille fuit famigeratissimus Joannes Nicolaus Alexander Maurus Cordatus de Scarlati, qui superiore bello, ut suo loco retulimus, a Cæsareis in Transilvaniam abducens, ut captivitatis suæ tædia levaret, librum de Officiis Græco sermone conscripsit, ab eruditis postea Lipsiensibus cum Latina interpretatione typis vulgatum. Sed ut eò revertamur, unde digressi sumus; ut nostri confederunt Princeps singulari comitate, verborūmque suavitate Patrem Latino sermone allocutus multa & varia de P. Josepho Redemptore quæsivit, qualiter nimirum expeditio nostra Constantinopolī successerit? quot numerō in libertatem asserti fuerint? Cui cùm Pater ex Ordine satisfaceret, ille in Ordinis nostri laudes effusus ejus Institutum majorem in modum commendavit. Sermone deinde ad alia converso Pater Dierlingi Cæsarei apud Portam Ottomannicam Ministri epistolam Principi porrexit, eidēque significavit, constitutum sibi nunc esse Budziakensem Tartariam redimendorum captivorum causâ adire: supplicabat proinde, ut Princeps opus tam salutare suō patrocinio & favore fulcire dignaretur. Princeps oblatam epistolam gratanter accepit, opēaque suam liberaliter addixit, rogavit tamen Patrem, ne ante mensem adhuc ex Valachia discederet, similius promitteret, se confecta expeditione cum redemptis ex Tartaria redditurum. Interea potus ex Asiaticis fabis, *Caffe* vocant, adfertur, cuius aliquot phialas cùm Pater exsorbiisset, amplissimas Principi gratias professus ab ejus colloquio recessit, ac eadē formā, quā venerat ad hospitium reductus fuit. Diebus, quēis Pater Bukaresti substitit, præter liberalissimam suorum hominum sustentationem, decem ei fercula opiparē præparata ad prandium, & totidem ad cœnam de promptuario Principis apposita fuerunt, ut alia plura silentiō præteream, quæ indulgentissimus Princeps profusa munificentia in eum contulit: ipsi quoque Turcæ, ut amicitiam suam cum Cæsareis testatam facerent, semel ante fores ædium, quas Pater incolebat, pro more gentis musicā cum symphoniam honorarunt.

V. Tertiā mensis Junii, cùm Pater negotium acceleratum cuperet, septem illos redemptos, quos Constantinopolī secum adduxerat, in Transilvaniam expedivit; didicerat enim in Tartaria

Hoc otus singu-
laris nostris
exhibitus.

Princeps lla-
guarum gar-
rus.
Quis hic Pri-
nceps?

Musica Tur-
carum.

In Molda-
viam & Tar-
tariam ita,

1720. omnia esse pacata, atque adeò redemptos illos sibi magis oneri fore quam commodo. Illis in Transilvaniam devehendis jussu Principis duo assignati sunt currus & viðtualia imposta in multos dies suffectura. Altera die, qua Pater Bukaresto discedere statuit, Principem adivit, & post debitas pro innumeris beneficiis perceptis gratias persolutas eidem officiosè valedixit, faventibus bonis Superis peracta feliciter expeditione illum denuò revisurus. Huic Princeps ad iter commodius perficiendum tres currus deputavit, singulos quatuor equis instructos, milites præterea quinque pro viæ custodibus adjunxit, eidemque Epistolam ad vicinum Moldaviæ amicum Principem, quæ Patrem & negotium ejus commendabat, ac denique in viaticum quinquaginta iterum piastras dedit: nostri autem tot favoribus cumulati tandem die quinta mensis Junii Bukaresto emigrarunt, itérque suum in Moldaviam auspicati sunt. Post triduum Focșiam urbem, ad Vlaichiæ & Moldaviæ confinia sitam, quam tenuis rivulus dirimit, pervenerunt. Ibi Valachici Reguli Præfectus nostros omni benignitatis genere suscepit, ut potè, qui non solum eis annonam largè suppeditavit, verùm etiam remissis prioribus militibus & aurigis alios substituit. Undecima tandem ejusdem mensis Junii sub Solis occasum Jassium tenuerunt, ubi sub idem tempus Moldaviæ Princeps residebat, qui eis gratuitum hospitium assignavit. Sequenti luce Pater acceptam Valachiæ Principis Epistolam ad Aulam detulit. Biduum hic, ut ab itineris laboribus modicum respirarent, quieti dederunt; iter namque per loca deserta pulsis indè colonis fuit valde difficile, ipsaque regio a Tartaris in solitudinem redacta, vix unum alterumve præbuit mapale, ubi noctem agere possent. Indè in Budziakensem Tartariam moventes cum Pruth fluvium finè periculo transivissent, decimâ septimâ mensis ejusdem Kausanum, ob frequentes nundinas celebre Tartariæ oppidum, attigerunt. Hunc locum sibi metam itineris fixerunt, in quo Redemptionem ad calcem perducerent.

Jassium per-
veniunt, Prin-
cipi Molda-
viæ epistolam
tradunt.

Kausanum in
Tartaria at-
tingunt.

Hospitium
commune ob-
tinente.

In aliud mi-
grant.

C A P U T XII. *Ad Kausanum in Tartaria Redemptio absolvitur.*

I. È adem vesperâ, ut primùm Pater ad oppidum pervenit, Salvi conductus Litteras Constantinopolis a Magno Sultano impetratas per duos viros ad loci Præfectum misit; is eidem commune ac publicum hospitium (*Han* vocant) cuius descriptionem alibi dedimus, pro habitatione designavit. Sequenti die Pater honoris causâ Præfectum invisit, & ab eo militare præsidium juxta Sultani mandata poposcit. Evidem ille Patri omnem favorem, opemque suam liberaliter addixit, nihil tamen, quod promiserat, implevit, sed benevolis duntaxat verbis Patrem laetavit; rogatus siquidem de alio hospitio concedendo, quia publicum illud propter intrantium & exeuntium liberum ac promiscuum usum parum tutum videbatur, preces callide clusit; ut proinde Pater

opus

1720.

opus habuerit singularem domum mercede conducere. Convenit itaque cum cive Kausanensi, qui ei pro menstruo sex piastrum censu domum suam elocavit, in qua præter duo hypocausta, atrium & coquinam nihil erat: ædium angustiis difficultas annonæ ex asse respondit, quam nostri magnô pretiô comparare cogebantur. In hoc oppido omnibus Lunæ diebus nundinæ celebrantur, ad quas Turcæ, Tartari, Græci, Armeni ac Hebræi frequentes convenient. Pater publici præconis voce proclamari jussit, ut si quis venalia mancipia possideret, ea ad Patrem perduceret, æquò pretiô illa persoluturum; Akiermanus namque Tararus, qui operam suam in aliis Redemptionibus ad conquirenda mancipia nostris commodaverat, non comparuit, creditus in superiore bello perivisse. Voce tamen præconis Redemptio per omnem latè viciniam satis divulgata fuit.

II. Adduxère Tartari vendendos complures utriusque sexus parvulos quinquennes & sexennes, paucos decennium egressos. Hi nuper ad Belgradi obsidionem a Tartaris in Transilvania & Hungaria intercepti, ut superius pluribus commemoravimus, in certam adolescebant animarum suarum perniciem. Ex his Pater intra unius mensis spatium quatuor & nonaginta (unus siquidem in catalogo ex Amanuensis incuria fuit prætermissus) redemit, magnô quidem pretiô, sed ob assertam tot infantibus Christianæ fidei institutionem utilitate majore. Tartari interea pro suo libitu quotidie captivorum pretium augebant, ut proinde inter perpetuas contentiones & jurgia plures dies sine fructu elapsi fuerint: recurrebant tamen identidem, & cum nihil vulpina simulatione sua se proficere cernerent, mancipia tandem sua ad Patris æquum arbitrium vendiderunt.

III. Redimebantur subinde pariter adulti, major autem considerabatur necessitas simul & utilitas ætatis minoris; adulti namque captivi ut plurimum in fide sunt constantiores, ac æternam salutem suam, si Christianis moribüs & doctrinis imbuti aliquando fuerunt, in tuto collocare facilius queunt; quamvis enim tyranni libertatem eis præsciderint, attamen salvificam CHRISTI fidem invitis tollere nequeunt: illi verò parvuli, quoniam ob ætatis imbecillitatem Doctrinæ Christianæ non satis sunt capaces, majoribus manent expositi animarum periculis, meritóque timeri potest, ne in cruda barbarie educati ad fidem Mahometis superstitionem desciscant. Quod cum nostri secum reputarent, optabant omnes, quotquot reperire valerent, minoris ætatis sive pueros, sive puellas redimere, & ad terras Christianorum reducere, ut in CHRISTI doctrina erudirentur, ac idoneis morum magistris traderentur: adultorum verò & in CHRISTI fide constantiorum redemptionem constituerant ad proximum tempus differre: quò tamen nihil obstante nonnulli etiam adulti interdum redimebantur, præsertim verò maturæ mulieres, ut parvolorum in via curam gererent, ne quid eis sinistri accideret, & ut apud eos sub itineris decursu matrum officiò fungentur. Ex his fuit Juditha quædam cognomine Idaczy, gente

Præconis va-
ce Redemptio
promulgatur.Pueri & puer-
iae adducun-
tur.Causæ eus
parvuli præ-
ceteris re-
dempti.Adulti tamen
redimuntur
ob causas.

Rrrrrrr

Hungara

1720.
Juditha nobilis matrona majori pretio redempta.

Helena vi redemptionem extorques.

Quinque magnifici accedunt.

Redempti
125.

Reditum ad
ornat Pater.

Parvulis edu-
cendis se op-
ponit Praefectus.

Monere pla-
catus agere
consentit.

Hungara, in Transilvania Judicis Nobilium uxori (ut ipsa imprudenter de se prodiderat) cum filia in captivitatem ducta. Filia reperiri non potuit, redimenda alioquin quocunque etiam pretio; distrahuntur enim apud Tartaros, qui sanguine juncti sunt, ut hoc quoque careant solatio. Igitur Juditha propter generis statuisse dignitatem enormi pretio venum offerebatur, quae tamen post diuturnas licitationes & jurgia tandem trecentis & quinquaginta florenis redempta fuit. Altera Helena Vihaczy ejusdem pariter nationis, de cuius lytro Pater post multas cum Tartaris altercationes convenire nequivit, vincita domum inter immensos ejulatus retrahitur; illa ad domus januam in terram procidit, & ob spem Redemptionis sibi preclusam in desperationem acta inconditis lamentis vociferabatur, se jamjam violentas manus sibi allaturam. Hujus clamoribus excitae foeminae Tartaricæ trepidè accurrerunt, intellectaque miseræ calamitate herum ejus objurgabant, quod oblatò justò pretio mulierem vendere nollet, quam unà cum lytro, si illa sibi sponte mortem accerseret, esset amisurus. Talibus foeminarum rationibus Tartarus emollitus Helenam denuò ad nostros reduxit, eamque imminuto nonnihil priore, quod postulaverat, pretio vendidit. Aliæ deinde complures redemptæ sunt mulieres, quibus injunctum fuit, ut parvulorum munditiae diligenter prospicerent, eorumque interulas lavarent, quod illæ etiam solicite præstiterunt.

IV. Degebant ibidem Christiani ab heris suis pridem manuissi, quorum quinque cum nostris ad patriam suam redire omnibus votis anhelabant: his quoque impetrata fuit aliquot aureis facultas terram illam egrediendi, quod alias eis minimè licuisset, atque hoc pactò isti quoque agmini nostro se aggregarunt. Hac igitur occasione redempti sunt in Tartaria Budziakensi sedecim viri, decem mulieres, quatuor & nonaginta utriusque sexus parvuli: universim centum viginti animæ, quibus si quinque illos libertos accenseas, centum viginti quinque capita conficies.

V. Exeunte mense Julio Pater de reditu solicitus omnia ad iter necessaria comparavit. Kausanensis Praefectus, ut inter redemptos tantum minoris ætatis numerum comprehendendi intellexit, ringebatur, & fremebat sive odio in Christianos percitus, si ve metu Ottomannicæ Portæ percussus: quidquid fuerit; ille ferociter se opposuit, exerte testatus, se non permissurum, ut hæc parvulorum turba e Tartaria egredetur. Pater, ut hominem insigniter barbarum placaret, viginti quinque aureos nummos eidem obtulit; ast ille centum poposcit. Et tot quidem numerare fuit necesse, ne tota Redemptio periclitaretur, aut grandioribus damnis involveretur. Exinde major cum pecunia metus invasit Praefectum, ne propter dimissos parvulos in crimen vocaretur, & peccatum capite lueret. Benderum itaque prefectus est specie invisendi amicum, revera autem, ut excusationem sibi pararet, quasi se absente atque insciò istud fuisse perpetratum. Ante discessum monuit Patrem, ne per Turcarum loca pergeret, aut in

in iis se detineret, alioquin enim futurum, ut ingentia pericula 1720.
incurreret.

VI. Conducti tandem sunt aurigæ, qui redemptos in Moldaviam deveherent: cum his Pater quidem de mercede convenit; verum illi, cum omnes jam in curribus sedissent, præfractè negarunt, se prius pedem moturos, donec tota merces sibi persoluta fuisset. Pater postulationis insolentiâ offensus, confestim ab absentis Præfecti fratre, qui ejus tunc munus gerebat, adversus protervos justitiam auxiliūmque postulavit. Ille bonis verbis consuluit, ut ad sedandam aurigarum ferociam medietatem pactæ mercedis persolveret. Verum illi hac minimè contenti & alteram medietatem instantius petebant, causati, se in regionem alienam proficiendi, ubi Pater nihil amplius eis esset daturus. Evidem Præfecti frater minis & terroribûs illos ad inchoandum iter urgebat: isti verò instar aspidis aures suas ad omnia obdurabant. Quamobrèm ut Pater eos sibi redderet obsequentiores, necesse habuit, aliquid ultra dimidiā mercedem adjicere; timebat enim, ne gens in fraudes prona ipsum insigni aliquo maleficiō obrueret. Exinde ut illi bonam Patris voluntatem agnoverunt, nihil quoque fidelitatis ac diligentie passi sunt ab se desiderari, sed læti & alacres iter sunt auspicati.

C A P U T XIII.

*Redemptionis ex Tartaria Budziakensi redditus:
eiusdem solemnis Viennæ ingressus.*

I. Dies erat septima & vigesima mensis Quintilis, dum nostri Kausanô emigrârunt, ubi aliquot diebus ultra mensem morati universam captivorum Redemptionem absolverant. Tempus erat in principio serenum ac itineri commodum, hanc tamen aëris clementiam paulò post corruerunt effusi & diuturni imbræ, qui magno impetu super terram ruerunt, & vias omnes fœdârunt. Noctu nullus ob regionis solitudinem patebat receptui locus, sed diurno itinere fatigatis sub pluvio cœlo pernoctandum erat. Has inter ærumnas & incommoda post triduum Jassium pervenerunt, læti imprimis de parvulorum incolumente, quorum tenella ætas curam omnem & compassionem intendebat. Jassiō hinc in Tartariam remittendi erant aurigæ: isti autem ad ulteriorem nostrorum devectionem nunc se offerebant, parati, si Pater congruam mercedem addiceret, eos in Valachiam atque etiam in Transilvaniam deducere, & solutionem in finem usque itineris differre. Verum Pater eorum insolentiâ exasperatus id noluit admittere, satisque habuit eos benevolis verbis remississe.

II. Jassi porrò pridie Kalendas Augusti Principem honoris causâ invisit Pater, quem sibi conciliare decreverat, ut ex ejus beneficentia currus usque Bukarestum impetraret. Eadem die circa meridiem, dum quidam ex præcipuis Moldavorum proceribus

Altera con-
tentio cum
aurigis.

Eorum insen-
tientia.

Redditus in
Moldaviam.

Itineris æra
musa.

Aurigæ ultro
se offerunt,
sed remis-
tuntur.

Mulier puel-
lam suffutari
tentat, & re-
pellitur.

1720. Patrem honoris gratiâ inviserent, scævi ominis mulier clanculum irrepsit, & puellam quamdam, a nostris redemptam, suffurari tentavit: clamante verò puella & renitente anus a facinore depulsa fuit. Qua de re Pater apud Principem graviter conuestus est. Mulier plagiaria ad causam dicendam adducta non dubitavit mentiri, hanc puellam esse filiam suam, eāmque a Tartaris in captivitatem abductam se nunc repetere voluisse. Puella hac de re interrogata negavit se Moldavam esse, sed Hungaram, hujus Regni idioma loqui, Moldavum penitus ignorare, minus Moldavam sibi matrem, aut se filiam ejus esse. Non tamen destituit anus effrons puellam jure apud Principem repetere, qui proinde nuncium ad Patrem misit, eidēque significavit, ut regionem ocyūs excederet, quod mulier filiam suam sibi reddi præfractè postularet. Cui Pater respondit, se haudquaquam passurum, ut sibi puella vi eriperetur, sed Constantinopolim ad supremum tribunal provocaturum; quamvis enim puella reapse filia ejus foret, qualem illam non esse manifestè constaret, se tamen nullo jure ad eam reddendam obligari posse, quam a Tartaris sibi venditam emptionis jure nunc possideret.

Ad fidem Ca-
tholicam
convertitur
Juditha.

Curris iphi
sibi conquire-
te coguntur.

Itinerum immi-
net periculum
à plagiariis.

Jassium ege-
suntur.

Cura de par-
vulis.

III. Interim Juditha, cuius mentionem paulò superius fecimus, & quæ hactenus parvulis diligentem operam impenderat, graviter ægrotare cœpit. In hoc illa statu Calvini errores, quēs ab infantia fuerat innutrita, seriò est detestata, & Fidem Romano-Catholicam amplexa, in qua unicè mori percipivit. Pristinæ postmodum sanitati restituta in fide suscepta non vacillavit: quin imò certis nunciis didicimus, eam in patriam delatam marito suo feliciter persuasissimæ, ut idem propositum & eandem fidem suscepit.

IV. Demum Pater altera vice oravit Principem, ut aliquot currus, quibūs redempti Bukarestum aveherentur, suppeditare vellet, sed ille respondit, sibi non esse potestatem quemquam ad hoc servitium compellendi. Ægrè conquisi sunt aurigæ, qui currus pro mercede elocarent. Interim dum Pater commeatui in viam parando, aliisque negotiis intendit, iterum nonnulli Moldavi quendam infantem tentarunt surripere, quod suum plagium feli-citer successurum arbitrabantur, quia infans nondum loqui, nec verbis se defendere poterat: verùm pariter in facinore deprehensi cum ignominia sunt rejecti. Facile suspicari licuit, plagiarios illos idcirco parvulis insidiatos fuisse, ut eosdem rursus Tartaris venderent: quare bonos genios, parvulorum custodiæ præpositos, tam nefarium facinus detexisse crediderim. Congregatis tandem aurigis die quinta Sextilis Jassium lentè sunt egressi, nec tamen ultra milliare ob noctis viciniam processerunt. Hanc illi in campis sub dio exegerunt a pluviis quidem suapte molestam, longè tamen molestiore a solitudinibus, quod semper metuere debe-rent, ne quis sub caliginoso noctis præsidio se turbæ immisceret, & inobservatus puerum, aut puellam furtim abstraheret: ad quod evitandum viri adjuncti sunt pueris, & mulieres puellis, ut teneræ ætati invigilarent. Illi verò, qui in curribus commodius

recu-

recubabant, moniti sunt curam habere infantium ibidem quiescentium, ne quis in terram laberetur.

1720.

Ob pluvias
lentum iter.

V. Sextà ejusdem mensis post horribilem præcedentis noctis tempestatem dies illuxit nubibus atra, & perpetuū imbribus fœda: unde cùm aquarum illuvie viæ omnes restagnarent, aurigæ lentiùs progrediebantur. Octavà ejusdem mensis Pater relícto fratre socio cum redemptis expedito curru vectus præcessit, ut annonam compararet, quæ jam deficere cœperat. Ad occasum Solis Barlat regionis illius oppidum tenuit, quia verò redempti huc ea die pervenire non poterant, in campo pernoctavère. Post biduum *Serreum* fluvium attigerunt, qui cùm ex assiduis præteriorum dierum imbribus mirum in modum intumuisset, aurigas metus incessit, ne vorticibus unà cum equis haurirentur, si eum transmittere tentarent: statuerunt proinde nonnihil expectare, donec aquæ modicū decurrerent. Arctior interea eis quotidie factus est victus, magnaque cum ciborum penuria conflictaverunt: hinc ut inanibus ventriculis succurrerent, missi sunt aliqui in proximas silvas, ut pyra, pomaque silvestria conquirerent. Hos frumentos allatos in aqua decoxerant, eosque inter omnes partiti sunt: parvulis autem panem potentibus, quia dare non poterant, magnoperè compatiebantur. Tandem postquam *Serretus* latè diffusas undas in suum alveum contraxisset, tentare voluerunt, an flumen cymbâ trajicere possent. Primus conatus feliciter successit: ast secunda vice, dum cymbæ viginti parvulos & aliquot adultos homines imponunt, remulcus, sive funis nauticus ruptus est, & antequam vectores oppositam ripam attigissent, cymba fluctuum violentiâ abripitur, cui ut nautæ subvenirent, aliam extemplò restim periclitantibus objecerunt, sed & hæc quoque, dum navis ei illigata attrahitur, disrupta, cymba verò fluctuum vi longius avulsa fuit. De omnibus jam conclamatum videbatur, quod flumen totas arbores, earumque radices rapido impetu devolveret: innocens autem turba, quæ per ætatem periculi magnitudinem nondum intelligere poterat, in naufrago ligno secura confidebat, colludebátque. Tandem peculiari, ut piè creditur, Divini Numinis auxiliò cymba ab ipsis transversis fluctibus litori admota uliginam tenaciter adhæsit, ut omnes inde incolumes egredi, seseque cæteris aggregare potuerint. Istis in tuto collocatis residui quoque per aliquot horarum spatium transmiserunt, nullis quidem periculis conflicitati, non minore tamen labore curaque transversti. Hæc inter aliqui ad proximum vicum dimissi fueront, ut panes & vinum afferrent, quo commeatu præteritam penuriam sublevârunt.

VI. Nostri quantocyùs Bukarestum Valachiæ venire desiderabant, ubi lautiùs se refocillatum iri sperabant: quamobrem userunt aurigas, ut iter accelerarent; illi autem quasi ex compacto tardabant, & pro libitu suo aut progrediebantur, aut subsistebant, nullisque precibüs ad iter maturandum induci poterant. Ad extremum tamen pervenerunt Bukarestum, eo planè tempore, quo Græci ex veteri ritu ante festum Sanctorum Petri & Pauli Principum

Deficit ab
nona.Liberantur e
submersione
periculo.Autigaram
tarditas.Bukarestum
venient.

Sssssss

Aposto-

1720.

Domus com-
moda conce-
ditur.Turcis eam
sedere cogun-
tur.Turcarum
excusatio &
semitas.Maledicunt
Tartaris, &
ipsis ponas
denunciant.In Transilva-
niam iter pro-
sequuntur.Gratias agunt
Principi.Eiusdem Li-
beralitas.Tergovisti
subsistunt.

Apostolorum sua observabant jejunia. Recepti sunt in eadem domo, quam nuper nostros inhabitasse significavimus, quæ omnibus sat commodum præbuit hospitium: tempus etiam, quo ab exantlatis itineris laboribus requiescere vellent, in eorum arbitrio relictum fuit. Ne quis autem interea eis molestiam crearet, iusfit Princeps domum illam militari custodiâ vallari. Vix illi paucis diebus ab itineris molestiis respiraverant, dum Turcæ tributorum exactores inopinatè superveniunt, qui eandem domum, quam nostri inhabitabant, a Principe sibi depositum. Horum postulatis morem gerere omnino necesse fuit; hic namque Princeps beneficiarius Sultani cliens est. Confestim itaque nostris insinuantur, ut rebûs suis convasatis in vicinam domum migrarent; rogabantur autem simul, ut Principi id vitio ne verterent, qui sola necessitate coactus id statuerat. Nostri nihil tergiversati Principis mandato actutum paruerunt. Ipsi postea Turcæ Exactores eos officiosè in alia domo inviserunt, significaruntque, se ad illam domum petendam inevitabili necessitate compulsos fuisse, quòd alibi ob innumeras plebis insidias nullam sibi securitatem polliceri potuissent; rogârunt proinde, ne ipsis nostri succenserent, aut hanc rem sequiùs interpretarentur, se bonam cum Christianis amicitiam colere, & eandem vicissim expetere. Ad alios deinde sermones digressi laudârunt subinde Redemptionem velut opus sanctissimæ charitatis: jocabantur cum parvulis, ac eisdem blandiebantur, quibusdam etiam pecunias donabant: ex adverso autem maledicebant Tartaris, quòd tam formosos pueros atque venutas pueras virgines ausi fuissent divendere, testati id in lege Mahometis peccatum esse gravissimum, & atrocissimis poenâs in hoc vel altero mundo expiandum.

VII. Postquam Bukaresti liberalitate Principis vires restaurârunt, refocillâruntque tenellum parvulorum agmen, de itinere in Transilvaniam cogitare cœperunt. Principem igitur accedunt, cui postquam pro maximis beneficiis debitas gratias peregissent, eum sunt obtestati, ut quinque & viginti currus redemptis ulterius devehendis suppeditare dignaretur. Liberalissimus Princeps, quòd parcè nimis eos petere arbitraretur, sequenti die quinquaginta currus storeis contra aëris intemperiem benè munitos in foro stare jussit, ut nostri sibi meliores, & quotquot opus haberent, ex illis feligerent. His imponi jussit vinum & diversa de penu sua victualia; insuper pro itineris custodia addidit quinque & viginti milites sub vexillo & Centurione, qui nostros Coronam usque sive Stephanopolim, Transilvaniæ urbem, comitarentur: mandauit prætereà, ut annona quotidie de publico per totam illam regionem, quocunque nostros meridie aut vespere venire contingere, largè subministraretur. Currus verò alternatim per locorum stationes alii aliis succederent. Post duos dies nostri Tergovistum attigerunt, ubi omnes in palatio, quod tunc ob Principis absentiam vacabat, excepti, & liberaliter habiti sunt. Ibi rursus moram aliquam fecerunt, quia prioribûs curribûs remissis novos expectare oportebat. Exinde post alias duos dies ad confinia Transilvaniæ perven-

pervenerunt: cum autem nunc altissimi montes, qui Transilvaniam a Valachia dividunt, superandi essent, adducti sunt equi robustissimi, iidemque catenis injuncti curribus ad difficillimam viam emetendam: sed cum & isti, quamvis flagellis & clamoribus incitati, nihil opis afferent, effeteque metuendum, ne in præcipitum ruerent, currus funibus alligati prægrandis trochlearē operā in verticem montium attracti sunt, atque hoc pætō post incredibiles labores *Tertzburgum* ad Transilvaniæ claustra tandem pervenerunt. Loci Præfectus, ut vidit tantam puerorum & puellarum multitudinem, vehementer est admiratus, quæsivitque undénam repente tot infantes advolassent? edoctus autem, hos omnes in nuperno cum Turcis bello a concursantibus Tartaris in Hungaria & Transilvania captos, nunc autem libertati assertos postliminiò in patriam suam reduci, inspectis quoque Sacrae Cæsareæ Majestatis Litteris, quæ dictis fidem faciebant, magnoperè lætabatur, & reclusis claustris liberum concessit transitum. Sumptō ibidem prandio Pater Centurionem largè muneratum cum Valachis militibus dimisit, eique litteras ad Principem perferendas tradidit, ubi collaudatæ militum diligentia curaque amplissimas rursus gratias eidem ob collata pulcherrima beneficia persolvit: currus tamen Valachicos etiamnum retinuit, quod aurigæ in mandatis haberent, nostros Stephanopolim usque devehere; quod cum pervenissent, Baro Tigeus urbis Præfectus redemptis in suburbio hospitia concessit, & necessario commeatu liberaliter adjuvit: Patrem vero Redemptorem cum fratre socio suæ mensæ adhibuit. Hoc in loco Pater tertianis laborare cœpit, iter tamen Cibinium est prosecutus. Cum Albam Carolinam propius accessisset, P. Præses nostræ hac in urbe domūs ad aliquot passuum millia obviam redemptis processit, illösque lætos lætus exceptit. Viennâ quoque jam aderant a Consilio Bellico Salvi Conductus Litteræ, quibus mandabatur, ut nostris currus & commeatus, quemadmodum Cæsareis militibus ministrari solet, per Provinciam suppeditarentur.

VIII. Albæ Carolinæ redempti in Hungarorum suburbio hospitia acceperunt. Sequenti luce Illustrissimus Transilvaniæ Episcopus D. Georgius Martonius Pontificali cultu ornatus, magnaque ministrorum & fidelium turbâ stipatus cum Cruce labrisque inter festivos tympanorum ac tubarum clangores extra Præsidium redemptis occurrit, eosque in supplicantium Ordinem digestos ad Cathedram Ecclesiam honorificentissimè introduxit, ubi P. Benedictus a Sanctis, Ordinis nostri Religiosus, idiomate Germanico sermonem ad populum habuit; quod finitō Episcopus solemne Sacrificium cum Hymno *Te DEUM laudamus* inter musicos concentus cum adjunctis precibus absolvit. Ad nostram domum deducti paratum sibi prandium hilariter sumperunt; vesperi vero ad sua hospitia reversi fuerunt. Episcopus binis postea vicibus in suo palatio redemptis epulum apparavit, cibosque suis manibus insigni charitatis atque humilitatis exemplō apposuit, & redemptis ad mensam in propria persona ministravit. Diebus octodecim Albæ Carolinæ nostri propter Patris tertianas

1720.
Difficilis ad
Transilvaniam
am ingressus.

Milites remittuntur.

Stephanopolis
lim peregrinuntur.

Pater tertianis
in sestatute.

Albam Carolinam perva-
niunt, festivè
fusciuntur.

Episcopi erga
redemptos
beneficentias.

1720.

*Claudiopolim
tendunt.**Solemnis ibi-
dem ingressus.**Psal. 113.**Concio.
Apocal. cap. v.
13. & 14.**In Hungariam
perveniunt.**Fama Redem-
ptionis incre-
bescit cum
tenero præ-
torum sen-
su.*

substiterunt: illò porrò sanitati restitutò frater Socius eodem languore infestari cœpit, quo tamen non obstante ambo ad Steinvilleum, Sabæsi agentem, salutationis gratiâ profecti sunt.

IX. Claudiopolim hinc iter dirigebatur. Præcessit frater Socius, ut maturè Redemptionis adventum significaret, cæteraque ad celerem profectionem impetraret. Innotuerat jam Claudiopolitanis quanta solemnitate & benevolentia redempti Albæ Carolæ excepti fuissent: Patres itaque Societatis JESU ad idem faciendum illecti cum urbis Curione Sacerdote iniverunt consilia de Redemptione quam splendidissime recipienda, ut luculentius heterodoxis ob oculos poneretur Romano-Catholicorum in suos charitas. Claudiopolim Pater cum suo redemptorum agmine ad Solis occasum tenuit; hinc in diem sequentem dilata fuit supplicatio, redemptis interea per suburbia hospitatis. Ut dies sequens illuxit, datò æris campani signo fidelis CHRISTI populus ad Parochiale Ecclesiam convocabatur. Agmen præcedebat vexillum majus, pone duo minora, quæ excipiebant Patres aliquot Societatis JESU, Alumni Clerici studiis vacantes, omnes linteati, Parochus & ministri ejus sacris vestimentis amicti. Hos sequebatur Præsidii Gubernator cum primoribus urbis & militum Præfetis. Ad urbis portam stabant redempti in duas lineas juxta sexum suum distincti; ad quos cum Supplicatio appropinquasset, Parochus illos aquâ lustrali conspersit, & Orationes quasdam super eos decantavit. Deinde redemptis processioni aggregatis eodem Ordine regressi sunt, Musicis per viam sacros Psalmos, præcipue verò centesimum decimum tertium: *In exitu Israel de Aegypto, domus Jacob de populo barbaro devotè continentibus.* Rei novitate excita ingens populi multitudo affluit, & sacram hanc pompam suo accessu multò illustriorem reddidit. In præcipuo urbis foro stabant honoris ergo prædiarii milites cum suis signis & armis. Stetit hic quoque ipsa Supplicatio; in quo loco ad confertam populi multitudinem quidam Societatis JESU Sacerdos Hungarico idiomate conceptam panegyrim dixit super illa verba ex S. Joannis Apocalypsi desumpta: *Hi, qui ami-
di sunt stolis albis, qui sunt, & unde venerunt.* Et ex eodem contextu sibimetipſi respondit: *Hi sunt, qui venerunt ex tribulazione magna.* Finita demum concione & ordinib⁹ rursus instauratis princeps Templum sunt ingressi, ubi post decantatum Hymnum Ambrosianum solemne Missæ Sacrificium peractum fuit.

X. Adductis currib⁹ rursus in viam se dederunt, & ad Hungariæ confinia perrexerunt, quò delati indistivam quadraginta dierum Stationem observare debuerunt, ne quid contagiosi morbi Regno inferrent: ubi verò satis constitit omnes sanos esse, facultatem acceperunt ante completum quadraginta dierum numerum Debreczinum proficisci. In hoc itinere quantò illi profundiuss Hungariam penetrabant, tantò vocaliuss fama Redemptionis se per ora hominum diffudit, ejusque visendæ cupiditatem acuit; in recenti namque memoria versabatur, qualiter prædatores Tartari ante triennium Szattmariensem, & vicinum Ugociensem agrum suis depopulationib⁹ fœdaverint, incolas obruerint & trucidaverint,

junio-

juniores in captivitatem abstraxerint, ædes sacras & profanas spoliaverint, atque incendiis vastaverint. Karolyum Szattmariensis Comitatū oppidum, ubi gentilitium Castrum Alexandri Comitis Karoly extat, nuncios ad Patrem misit rogatum, ut cum redemptis eò diverteret. Annuit Pater, licet modicum a via deflectere oportuerit. Postquam igitur proprius ad oppidum successisset, redemptos in ordinem disposuit, eosque binos præcedere jussit. Ad ingressum oppidi ingens stabant multitudo Calvinistarum & Schismaticorum, e diversis provinciis oriundorum, qui rei novitate exciti ad insolitum spectaculum contemplandum avidè confluxerant. Catholicæ verò fidei professores Hungaricæ, Suevicæque Nationis cum Ecclesiæ Curione, religioso cœtu Ordinis Minorum S. Francisci ex vicino Caplonensi Asceterio evocato, & aliquot Societatis JESU Patribus, qui fortuitò illuc advenerunt, ac denique ipso Comite Alexandre Karoly loci Domino redemptis ritu supplicantium obviā processerunt. Ut sibi invicem occurrerunt, oppidani redemptos in medium receperunt, eosque inter pios concentus & comprecationes ad Sacellum Arcis perduixerunt tanto spectatorum motu, ut plerique sibi a lacrymis temperare nequiverint. In Castri Sacello Hymnus *Te DÉUM laudamus* in CHRISTI Redemptoris laudem solemniter fuit decantatus; quō finitō unus e numero Sacerdotum ad circumstantes fervidum & pietate plenum sermonem habuit. Comes Alexander parvolorum amore duetus illos omnes in paternam curam suam assumere voluit, eosque sibi dari a Patre Redemptore postulavit, pollicitus se operam daturum, ut omnes liberaliter educarentur: hic verò paucos duntaxat ei concedere voluit: cùm autem piissimus Comes plures obtinere niteretur, multis tandem precibüs unum supra viginti redemptos parvulos impetravit; sub his tamen conditionibus scripto exaratis: ut ingenua libertate semper gaudent, in unica salvifica fide Catholica, bonisque moribus educarentur, & secundum cuiusvis indolem liberalibüs, aut mechanicis artibüs erudirentur, quibüs honestè vitam aliquando tranfigere possent. Hæc omnia beneficentissimus Comes liberaliter promisit, propriaque manu chyrographo & gentilitii sigilli sui appressione ad ea observanda se obstrinxit. Acta sunt hæc in Castro Karoly hōc anno currentis sœculi vigesimō, die decima quarta Octobris. Eodem ferè modō postea Agriam intrarunt, ubi Reverendissimus & Excellentissimus Episcopus Gabriel Antonius Erdödy, Conventū nostri ea in urbe Fundator, pariter nonnullos ex illis parvulis in clientelam suam recepit. Inde continuo Pestinum & Posonium perrexerunt, ac tandem die trigesima mensis Octobris Viennæ more solito, ut saepe memoravimus, solemnem peregerunt ingressum.

XI. Per urbis compita, quæ pertransiverunt, passim sunt observati, quibus ex ætatis tenellæ intuitu, & nimia compassione innocentis turbæ, ac etiam gaudio de eorum redemptione oculi in lacrymas ebulliebant. Clangor tubarum & musicorum concentus in Supplicatione latè sparsus triumphi cujusdam imaginem

Ttttttt

haud

1720.
Ad Castrum
Karoly so-
lemnissimis ingres-
sus.

Comes Karo-
ly 21. parvu-
los educandes
impetrat.

Ingressus A-
græ.

Posonii & Vi-
enæ,

Ad Spectacu-
lum Viennæ
animorum
motus.

1720. haud invenustè repræsentabat. Populi concursus in urbe frequen-
Populi con-
cursus iagens.
 tissima tantus fuit, ut omnes fenestræ, plateæ omnes & editiora
 loca spectatoribûs, se se invicem comprimentibûs, ferverent. In
 plateis, qui jam viderant, iterum atque iterum ex dira Tartaro-
 rum captivitate parvulos eliberatos spectare desiderabant, ideoque
 per angiportus, viarum compendiis usi, secundò & tertio spectan-
 ti populo se immiscuisse sunt observati. Multi præterea usque ad
 Templum nostrum vel præcucurrerunt, vel supplicantibus se im-
 miscuerunt, eodem ordine progressi, ut ad finem usque functio-
 nis hac interna sua consolatione sèpius perfruerentur. Redemptis
 verò parvulis Orphanis non opus fuit diu quærere nutrices aut
 Patronos: passim se offerebant, qui aliquos in filios, alias in filias
 adoptare discuperent. Ità corda piorum hominum commove-
 bantur, ut si multò plures adducti fuissent, nemo patre aut matre
 caruisset: certè non pauci dolebant, sibi tam optatam merendi
 sortem ab aliis præceptam. Quibus illi educandi dabantur, his
 simul commendabatur pia educatio & cura eisdem imposterum
 de honesto vivendi modo prospiciendi. Salus animæ, si spe-
 tur, felices reapse censerit poterant parvuli illi, quòd in captivita-
 tem inciderint; omnes enim ab heterodoxis parentibus prognati
 in certissimam animæ perniciem adolevissent, nisi mirabili DEI Pro-
 videntiâ ad hanc calamitatem ignorantes pervenissent, quæ eis
 viam stravit, ut a nostris Religiosis redimerentur, & ab his talibus
 personis educandi committerentur, a quibus cum ipsis alimentis
 semina Romano-Catholicae fidei, extra quam nulla salus esse cog-
 noscitur, susciperent. Quod profectò singulare fuit DEI benefi-
 cium salutem ex inimicis mirabiliter operantis.

Duplex apud
 nos unica
 censetur Re-
 demptio.

XII. Hæc Redemptio, quamvis in se unica sit, duplex
 tamen censeri posset, si temporis & locorum spectetur diversitas,
 in quibus peracta fuit; Nostri certè Patres Romani eam pro tem-
 porum diversitate in duobus foliis descriptam in duas etiam divi-
 serunt Redemptiones, quarum priorem Sanctissimo Domino no-
 stro CLEMENTI XI. Pontifici Maximo, posteriorem Eminentissi-
 mo Domino Hannibali Albano Ejusdem Nepoti S. R. Ecclesiæ
 Cardinali nuncupârunt. Nos autem utramque censemus unicam
 & eandem, illámque in serie Redemptionum nostræ Provinciæ un-
 decimam numeramus. In hac expeditione ex omnibus ferè Eu-
 rope nationibus aliqui redempti sunt. Universim numerantur
 quingentæ quinquaginta quinque personæ in libertatem assertæ,
 ad quem numerum nulla hactenus nostræ Provinciæ Redemptio
 ascenderat. Peculiarem autem in ea memoriam sibi vendicat nu-
 merus nonagesimus; nonaginta siquidem & novem captivi Au-
 citoritate Magni Oratoris ab Sultano sunt manumissi, quibus aliæ ex-
 tra pacificationem nulla fuisset spes libertatis. Iterum nonaginta
 septem e triremibus, jugo omnium gravissimô, pretiò sunt re-
 dempti. Rursus nonaginta quatuor utriusque sexûs minoris ætatis e
 Tartaria libertatem obtinuerunt. Præterea nonaginta septem
 captivi Christiani Constantinopoli & in aliis Turcici Imperii
 Provinciis lytrô emancipati sunt. Reliqui centum sexaginta
 novem

Numerus et-
 pitorum.

Ubi nonage-
 simus memora-
 bilis.

novem partim in Tartaria pretiō redempti partim etiam Constantinopoli sinē pretio aut aliis licitīs industriis in libertatem asserti fuerunt. 1720.

XIII. Sub Gloriosissimis Auspiciis CAROLI VI. Augustissimi Romanorum Imperatoris, Pii, Felicis, Victoriosi, Clementis hæc ad finem pervenit operosa Redemptio. Eidem Sacratissimæ Majestati captivorum nomina, patriam, ætatem, conditionem, & lytrum in magno folio ex sacra pagina hōc præfixō Chronographicō : Venient In s̄lōn CVM LaVDe & LætItla descripta nuncupavimus brevi dedicatione, ut Magni Principes alloquia longiora vix sustinent, iis, ut sequitur verbis expressa :

SACRATISSIME CÆSAR.

Memnonis Statuam in Serapidis Fano ad Solis radios articulatam vocem emittere solitam olim celebrabant Ægyptii Sacerdotes : multò celebrius est, ac plausibilius AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS VESTRÆ radios, & Victoriosissimi Nominis Splendorem utrumque Occidentis & Orientis inter se armis collisi Orbem sedasse, hostes stravisse, dilatasse Regiones, tutasse Patriam, Cives servasse, & hos ex totius ferè Europæ Nationibus de Ottomanorum dira servitute redemptos ad pileum revocasse captivos. Hec sane Redemptio, cui hactenus nulla par fuit numerò, ab Austriaco Sole omnem suum mutuat splendorem, ubertatem & copiam. Germani, Justi, Pii, Felicis Cæsar's id merito opus est, tot reddidisse Felices. Gratulantur jam milites, letantur Cives, gaudent cum matribus proles, exultant ad libertatem MAJESTATIS VESTRÆ favore ac influxu FORTITUDINE & CONSTANTIA restituti. Eorundem nomina devinctissimus Ordo noster Trinitarius Clementissime MAJESTATI VESTRÆ in hac Tabula demissè offert, & sincerè rationem reddit officii ac Instituti sui. Stat, Stabitque perpetuò causa nostra ex Cæsar's arbitrio ; inde vigor, inde valor, inde pretium fertur, cluet, aestimatur.

C A P U T XIV.

Pro ædificatione Comaromiensis Cœnobii Primus Lapis ponitur.

I. Hactenus nostri Comaromienses Religiosi per septennium in vico Nobilium exiguum domum ad suam vineam & hortum incoluerunt. Usum Sacelli pro Divinis officiis peragendis præbuit hypocaustum æquè parvum, decenter tamen ornatum. Tandem anno hujus sæculi vigesimō statuerunt Cœnobia condendo initium dare, cui aptum & opportunum situm offerebat ipsa

Ttttttt a

vinea,

Ad primum
Lapidem col-
locandum
dispositio.

1720. vinea, quæ eradicatis vitibüs, cæsisque arboribüs ad novam mo-
liendam structuram spatium suggerebat amplissimum. Convecta
itaque in hunc finem magna vi Lapidum, arenæ, calcis & tigno-
rum, cum omnia ad inchoandum ædificium jam parata essent,
diem tertiam mensis Maji, quâ Inventio S. Crucis recolitur, pro
obeunda solemni ritu Primi Lapidis collocatioe elegerunt.

*Primus Lapis
ponitur.*

3. Maij. II. Aderat P. Martinus ab Ascensione Commissarius Gene-
ralis, cuius jussu Illustrissimo Domino Friderico Adamo Comiti
Veltz, Præsidii Comaromiensis Præfecto, honor Primi ponendi
Lapidis delatus fuit. Invitantur plerique Nobiles viri, cives præ-
cipui & Benefactores, qui etiam omnes officiosè comparuerunt,
ut memorabilem adeò functionem suâ præsentia cohonestarent.
Res tamen majore modestia & devotione, quam splendore, pom-
paque peracta fuit; etenim P. Commissarius Generalis absoluto
Missæ Sacrificiō superpelliceum, stolamque assumpsit, & præce-
dentibüs duobüs Ceroferariis, ac quatuor Religiosis nostris Sacer-
dotibüs sequentibüs ad locum processit primo Lapii sacrando de-
stinatum. Hunc postquam consuetis precibüs benedixisset, di-
versa numismata Romana Sanctos Ordinis nostri referentia eidem
imposuit, quibus Comes Veltz aureum numum effigie CAROLI VI.
Imperatoris hōc anno signatum addidit, clausoque Lapidis ostio-
lō Lapidem ternis malleoli ictibüs cæmento immergit. Successe-
re murarii, qui coeptum opus ad eam perfectionem produxe-
runt, in qua nunc conspicitur.

C A P U T X V.

Pro construendo itidem Cœnobio nostro Tyrnaviensi

Primus Lapis collocatur.

*Pro alio situ
alia ab Excell.
D. Comite A-
damo Kollo-
nicz nostri
empta Da-
mus.*

*Plurimæ diffi-
cultates obji-
giuntur.*

I. **H**oc eōdem anno jaeta sunt fundamenta nostri Conventū
Tyrnaviensis, ad quæ ponenda viam per innumera obsta-
cula complanare oportuit. Evidem nostri pridem in hac urbe
domum obtinuerant, sed quod illa in abstrusa civitatis parte, lo-
cōque ignobili fuderet, Excellentissimus Dominus Comes Adamus
Kolloniczius, Ordinis nostri eximius Fautor & Benefactor, cui si-
tus ille semp̄ displicuerat, propriis sumptibüs ædes Comitis Zi-
chii, in longa platea ad publicum forum procurrentes, coēmit,
cāsque nostris pro ædificando Templo ac Cœnobio donavit, atque
hōc pæctō titulum Fundatoris promeruit. Quod si nunc singula-
tim recensere vellem, quantæ difficultates multorum annorum
intervallo superandæ fuerint, ut ad possessionem harum ædium
admitteremur, nimis prolixus evaderem, & finem fortassis nullum
scribendi invenirem. Res profecto in difficillimo loco fuisse posi-
tas eorum temporum acta & Rescripta luculenter testantur. Pau-
ca duntaxat e multis feligam, unde tamen abunde intelligi pote-
rit, in quantis salebris res nostræ tunc hæserint. Primum sit Re-
scriptum Augustissimi Romanorum Imperatoris & Regis Aposto-
lici ad Inclytæ Cameræ Posoniensis Præsidem & Consiliarios se-
quenti formâ expeditum.

CARO-

CAROLUS VI.

Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item, Egregii, Fideles, Nobis
Dilecti. Probè recordabuntur Eadem Fidelitates Vestre, quid-
nam iisdem mediò Cancellariae Nostræ Regio-Aulice Hungaricæ ad-
huc de dato XXIX. mensis Octobris anni M. DCC. XVII. proxi-
mè præteriti in puncto certæ Domus Zichianæ in Regia Liberâque
Civitate Nostra Tyrnaviensi situata, & per Fidelem nostrum, Spe-
ctabilem & Magnificum Comitem Adamum a Kollonicz, perpetuum
in Levard, Equitem Auratum, Comitatus Czongradiensis Supre-
num Comitem, & Consiliarium nostrum intimum, quâ Fundato-
rem pro parte, & ad rationem Fidelium itidem nostrorum Religio-
sorum Patrum Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione
captivorum Residentiæ Tyrnaviensis, pro majori utpote eorundem
Religiosorum commoditate, & populi, devotiones ibidem peracturi,
accessu emptæ & comparatae in forma requisitionis scriptum sit, &
intimatum. Quia verò Nos quoque clementer vellemus, ut ante-
lati Comitis a Kollonicz ad ampliandam Gloriam DEI directa Sa-
lutaris intentio secundetur, eadēque secus citius & melius finem
suum consequi nequeat, antequām certa eatenus per Majestatem
Nostram benignè Authorizata Cameralis Commissio ibidem in
facie loci ordinetur, & instituatur. Eapropter Fidelitatibus Ve-
stris harum serie clementer committimus & mandamus, quatenus
e Collegio istius Regiae Camere Nostræ Hungaricae Consiliarium,
quâ Commissarium eatenus nostrum, quantocv̄s eligere debeant;
qui semet in prædictam Regiam Liberam Civitatem Nostram Tyr-
naviensem confessim conferre, ibidēque accersitò in præsentiam sui
ejusdem Loci Magistratu ratione præattacte pro Templo antelato-
rum Patrum Trinitiorum ampliandæ domus Zichiane cum eodem
Magistratu amicabilem compositionem tractare, ac ex post suo mo-
dō elaboratam ac conclusam ad Benignam Majestatis Nostræ Ra-
tificationem transmittere: ea verò fors minus succedente, Majestati-
tem Nostram cum voto & opinione sua mediò suprafatae Cancellarie
Nostræ Regiae Aulice Hungaricae pro ulteriori Benigna eatenus di-
spositione Nostra superinde fideliter, & circumstantialiter informare
noverit, & non intermittat. Gratia in reliquo Nostra Cesareo-
Regia iisdem Fidelitatibus Vestris Benigne propensi manentes.
Dabantur in Civitate Nostra Vienna Austria die 16. mensis Julii
Anno Domini 1718.

CAROLUS.

comes Nicolaus Illesbasy.
Elias Waneczy.

Uuuuuuuu

II. Cum

1720.
Cæsaris De-
cretum.

1720.

II. Cùm verò hoc Cæsareum Decretum illum effectum minimè habuisset, quem sortitum sperabatur, anno sequenti Inclyta Regni Hungariæ Aulica Cancellaria aliò Rescripto ad Senatum Tyrnaviensem negotium nostrum instantius ursit, ut ex subjectis Litteris videre licet:

Aliud Cancel-
larie Hunga-
rica Rescrip-
tum.

Prudentes ac Circumspecti Domini, Nobis observandissimi, Salutem & Officiorum nostrorum Commendationem. Probè recordabuntur Eadem Dominationes Vestrae, quidnam iisdem iteratis vicibus circa Sacrum Ordinem Sanctissima TRINITATIS de Redemptione captivorum in gremio istius Libera & Regia Civitatis Tyrnaviensis jam aliunde præ prius benevolè acceptatum, in commodiori nihilominus loco per Excellentissimum D. Comitem Adamum a Kollonicz tanquam Benefactorem ejusdem fundamentaliter accommodandum per expeditionem Cancellaria hujus Regio-Aulicæ Hungaricæ perscriptum fuerit, & intimatum. Et licet quidem Anno 1718. proxime præterito ad præviam præmisso in negotio factam certificationem nostram intuitu accommodandarum nonnullarum eatenus emersarum subversantiumque difficultatum, Eadem Dominationes Vestra certos binos deputatos suos ad faciem Cancellaria hujus emisissent, medioque eorundem postulatum suum proponi curassent. Quia nihilominus iidem deputati pleniori eatenus plenipotentiâ se destitutos esse, adeoque contra instructionem sibimet datum semet progredi non posse afferuissent, hinc etiam piæ ejusmodi intentionis scopus nequaquam eorum secundari valuisse. Cùm autem præattactus Dominus Comes Fundator, veluti ad complanationem complanandorum (dummodo aqua & rationabilia ab eodem prætendantur) pronissimus negotiis hujus finalem accommodationem apud Regiam hanc Cancellariam Hungaricam Aulicam adurgere non desinat: justaque potentibus omnino præbendus esset assensus: Idcirco supratitulatas Dominationes Vestras hisce ex Officio certificandas esse duximus, easdem serio commonefacientes, quatenus ad secundandum præmisso in negotio rationabilem Tractatum, adeoque consequendum etiam ejusdem desideratum finem mediò deputatorum eatenus suorum pleniore ceteroquin Mandatoriatus facultate & plenipotentiâ instruendorum, qui die 27. nunc currentis mensis Februarii Anni infra scripti in facie Cancellaria hujus Regio-Aulicæ Hungaricæ comparere, & semet sistere velint, nec intermittent, nisi medio tempore cum prætitulato Domino Comite convenire possint. In reliquo servet DEUS Dominationes vestras. Datum Vienna Austriae 3. Februarii 1719.

III. Res ulterius non est progressa; nam die decima quinta
mensis Februarii ejusdem anni Inclytæ Regiae Aulicæ Hungaricæ
Cancellariæ Viennam per epistolas nunciatum fuit, Magistratum
Tyrnaviensem & Cives cum Patribus Trinitariis æquis condicio-
nibus inter se convenisse: quô factô ad diem decimam quintam
Julii nostri consuetis solemnitatibus duarum ædium possessionem
iniverunt, earumque foribus in hujus rei argumentum Ordinis
Crucem affixerunt. Tantæ molis erat hoc in negotio adversario-
rum oppositiones perfringere, ut nisi Excellentissimi Comitis Fun-
datoris Auctoritate & Patrociniô nostri fuissent protecti, nihil
unquam impetrari potuisset. Unde merito ejusdem Imagini Vi-
ennæ apud nostros hi versus subscripti fuerunt:

Siftis Adame Comes Kolonicz Celeberrimus Heros,

Quô non in nostros Clrior alter erat.

Sed quantus fueras multis Tyrnavia monstrat;

Te scutum vindex, & Decus Ordo colit.

Quam vastis olim nos luctabamur in undis!

Donec jactatis Stella benigna nites.

Tempestas procul omnis abit, spirante favore;

Est pacata quies, sit stabilisque Domus.

Rebus igitur amice ac probè cum Magistratu & Civibüs compo-
sitîs, Idem Excellentissimus Dominus Comes Fundator ambarum
ædium pretium exsolvit, & præterea aliis magnis suis expensîs,
quas ille quidem pro suo erga Ordinem nostrum affectu minimi
faciebat, a communibüs oneribus eliberavit, ut nostri simul li-
beram earum possessionem in perpetuum obtinerent.

IV. Postquam igitur adversæ voluntates in concordiam coa-
luerint, sollicitudo de novi Cœnobii structura suscepta fuit. Id
effictim desiderabant nostri, urgebant amici, promovebant quo-
que benevoli largis subsidiis, & majoribüs pollicitationibüs. A
peritis igitur Architectis describitur area, locus pro Templo secer-
nitur, justumque spatum Cœnobio ædificando ad artis regulas
assignatur. Nihil jam supererat, quam ut primus Lapis medita-
tæ fabricæ fundamentis imponeretur. Etsi verò honos iste me-
ritò delatus fuerit Excellentissimo D.Comiti Adamo a Kollonicz
Fundatori, ille tamen id munera se modestè amovit. Alter pro-
inde ad hanc functionem obeundam delectus fuit, Reverendissi-
mus nimirum & Illustrissimus Georgius Baro Gyllanius Episco-
pus Tinniensis & Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ Canonis-
cus; verum hic sub idem tempus petegre constitutus non tam
citò adventurus credebat. Fixum tamen manxit ejus nomine
hoc opus absolvendum esse. Disponitur ergo ærea lamina Lapidi
imponenda, cui ex una parte insculpta erant Gentilitia Kolloni-
cziani Stemmatis Insignia, quæ sequens epigraphe, numeralibüs
litteris annum præsentem exprimens, ambiebat, nempe: hoC In
CVstro DIa Me posItO, Ut qVIls resIstET. Ex altera verò vise-
bantur Gyllanianæ stirpis Arma hoc chronologico lemata adjecto:

II. R. 2

1720.
Repente ne-
strum finitur
negotium.

Possessio æ-
dium suscipi-
tur.

Patrocinium
Comitis Kol-
lonicz celeb-
ratur.

Idem domum
ab oneribus
suis sumptu-
bus eximit.

Ad Primi La-
piâs positi-
onem dispo-
silio.

1720.

HO^C IN VIGILANTE NI^HIL PA^VENDVM. Inter utrumque Scutum initiales litteræ sequentium verborum cernebantur: DEO TER OPTIMO MAXIMO GLORIA. Paulò inferiùs hi versus legabantur:

Cum Millenus erat Septingentesimus Annus
Bisque decem pariter, quō fuit orta Salus.

Hoc dum fundat opus KOLONICZ GENERALIS ADAMUS,
GYLLANT peragit Præsulis alma manus.

Ære locuturus Lapis est, Gens postera discet,
Grata Patrum Pietas quæ Monumenta parat.

Infra hos versiculos in medio eminebant Sacri nostri Ordinis Insignia, Crux nimirum rubei & cœrulei coloris, quam subsequens circumpletebatur chronographicum: INSIGNIA SACRI TRINITATI ORDINIS & CAPTIVORVM.

Primus Lapis
ponitur.

V. Ad vigesimam diem Junii anni millesimi septingentesimi vigesimi absente adhuc Gyllanio Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Joannes Okoliczanius, Episcopus Noviensis & Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ Canonicus invitatus fuit, ut vicaria manu Gyllanio in hoc opus succederet, & Primum Lapidem in ejus Nomine fundamentis imponeret. Nec ille tergiversatus est, sed statuta die & hora adfuit, ac præsente Comite Adamo Kolloniczio, aliisque complurib^{us} Ecclesiasticis & Nobilib^{us} Viris ipse Pontificalib^{us} vestib^{us} ornatus Primum Lapidem solemni ritu benedixit, eumque inter lœtum tubarum tympanorumque applausum magna spectantis populi & nostrorum consolatione fundamentis imposuit. Post dies aliquot Gyllanius Strigoniò redux, ut intellexit, quid nomine suo actum fuerat, ratum id totum gratumque habuit. Conductis interea plurib^{us} operariis fabrica ergebatur.

C A P U T XVI.

Elogium vitæ P. Josephi a JESU Maria Generalis Commissarii.

Eligitur Com-
missarius Ge-
neralis anno
præteritò dum
in Redemp-
tione occupa-
tur.

I. Quem ante semestre Constantinopolí cum magno redemptorū Christianorum numero Viennam redeuntem lœti suscepimus, circa hujus anni finem a corporis vinculis absolutum, viamque æternitatis ingressum lugemus P. Josephum a JESU Maria; hic ante sesqui annum, & quod excedit, in Patrum Comitiis, dum ipse captivorum Redemptioni invigilat, præter expectationem suam Commissarius Generalis Ordinis per Austriam, Hungariam, & Bohemiam electus fuit, quamvis hujus rei nuncius non nisi mense Decembri anni præteriti ad ipsum, Constantinopolī agentem, pervenerit. Et ecce tibi! quæ scenæ conversio? dum magna concipiuntur molimina, & præclara rerum pulcherrimarum spe lactamur, invida Parca vitæ filum succidit, eoque disruptores simul cum spe propè dissipavit.

II. Re-

II. Redemptione feliciter absoluta delatum sibi munus in humeros admisit. Exinde petitō & impetratō Augustissimi Cæsaris alloquiō expeditionis suæ rationem reddidit, Suæque Majestati exposuit Turcarum Sultanum publicis Litteris Ordini nostro potestatem fecisse Constantinopolī domum Ordinis statuendi, ut maijore cum fructu deinceps captivorum Redemptioni incumbere possemus: oravit proinde, ut Sua Majestas opus adeò salutare suô subsidiō fulcire ac provehere dignaretur; his dictis supplicem Libellum eadem de re Augustis manibus consignavit. Responsum Cæsaris ad vota tulit: cogitandum tamen etiamnum erat, qualiter Patris postulata optimô modô in opus deduci possent. Hæc inter supervenit altera pars Redemptionis ex Tartaria, cuius occasione Pater in latissimo folio captivorum nomina, ut alijs fieri consuevit, Augustissimo Cæsari reverenter obtulit, rursusque ex Clementissimi Imperatoris verbis spem novam concepit, rem ci- tiùs, quām sperāset, confectam videndi. Subinde, quod ratio officii recens suscepti postulabat, in Bohemiam perrexit, ut Pragensem Ordinis Conventum lustraret. Rebūs ibi ritè ordinatis in viam rursus se dedit, & per Moraviæ Marchionatum Illaviam contendit, quō tamen pervenire non potuit, in itinere sublatus, ut inferiùs videbimus: nunc autem vitam & res ejus gestas breviter exequemur.

III. Natus est P. Josephus a Jesu Maria Madriti in Hispania tertio Idū Martii anno superioris saeculi primō & sexagesimō. Parentes habuit Christianis moribūs conspicuos, a quibus ad omnem pietatem fuit institutus. Post exactam pueritiam primis litterarum elementis imbutus Latinæ Grammaticæ operam dedit. Deinde apud Patres S. Philippi Nerii, Oratori Madritensis aliquot annis Sacerdotibus ad aras servivit, reliquum verò tempus, quod a pia hac occupatione ei supererat, lectioni devotorum librorum impendit; quibūs animum ita excoluit, ut nihil aliud quām spiritualia sapere, ac spirare videretur; ne tamen improvidè ardore juventutis in errorem aliquem abriperetur, ut in rebus spiritualibus & mysticis facile incautis accidere solet, aliquem sacri illius cœtūs seniorem Patrem in conscientiæ arbitrum elegit, cui intimos animi sui recessus patefecit, ejusque consiliō edoctus didicit, ex quibus codicibus salutaria benè vivendi præcepta securè haurire deberet. Ad bivium Pythagoricæ Litteræ delatus perfectioris vitæ studium auxit, ex quo sibi magnos quotidie stimulos subdi persensit ad Religiosum aliquem Ordinem amplectendum. Re mature discussa, & implorato frequentioribūs precibūs Divino lumine ex Sancti Spiritū instinctu ad Ordinem Patrum Trinitiorum Discalceatorum, severioris disciplinæ studiō clarum, se magis impelli animadvertisit. Religiosis itaque nostris Madritensis supplex factus eorum consortio adscribi postulavit, & ad commendationem Patrum Congregationis Oratori voti compos effectus sacra Ordinis nostri ueste donatus est die tertia Octobris anno illius saeculi tertio & octogesimō.

IV. Per integrum probationis annum virtutibus excolendis,

Xxxxxxx

1720.
Agit cum Cœ-
fare de Ordini
nis nostri do-
mo Constan-
tinopolī con-
denda.

Imperatoran-
nuit.

Oratio & na-
tales.

Lectioni de-
votorum lib-
rorum in-
cumbit,

Ad Ordinem
Trinitarium
admittitur.

Prosternit.

&

8720.

Studia.

& sacris religiosæ vitæ institutis addiscendis tanto fervore incubuit, ut omnium sibi conciliaret suffragia, quibūs ad solemnium votorum professionem pervenit. Solanam missus Philosophicis, & Compluti Theologicis Studiis per sexennium egregiam operam navavit, atque in scholaisticis concertationibus crebra subtilioris ingenii specimina dedit: Nec tamen ideo ab humilitatis tramite deflexit, aut in virtutum exercitiis elanguit; ratus eum plus deficere quam proficere, qui litteras p̄eponit virtutibus, sīnē quibus aditus nullus ad æternam salutem patet.

Speciales ejus
Virtutes.

Humilitas.

Obedientia.

Puritas.

Paupertas.

Cultus B. Vir-

ginis.

Oratio men-

talis.

V. Motus iræ, aliarūmque animi passionum, quæ subinde viros etiam perfectioris vitæ solent impetere, ratione velut frānō coērcuit. Humilitati, ut præmisimus, præprimis studuit, ceu basi omnium aliarum virtutum, & religionis fundamento. Magnos proinde in suimetipſius contemptu fecit progressus, solitus de ſeipſo quam vilissimè ſentire, ſequere pro despiciibili immunditiae vasculo ſemper reputare. Quam verò humiliter de ſe, tam magnificè de aliis ſentiebat, & loquebatur. Defectus aliorum, ſi qui fuerunt, quibūsvis coloribūs conquisitīs excusatbat, aut in meliorem partem accipiebat: ex adverſo autem virtutes alienas & insigniter commendabat, & impigrè æmulabatur. Comis & affabilis erga omnes, ut ſatis pateret, eum proximos ſuos & fratres plusquam ſemetipſum aestimare, & in pretio habere. Obedientiæ virtuti ſe ità addixerat, ut omnes ſuorum Superiorum nutus obſervaret. Mentis corporisque puritatem singulariter coluit, caſtitatem velut pretioſiſſimam gemmam ſuam cuſtodiuit. Paupertatis rigidus aſſertor, ſæpe in rebus neceſſariis admittendis ſe diſſiciliorem præbebat, quod timeret, ne ſub eorum prætextu alia irreperent, quæ huic ſanctæ virtuti adverſarentur. Crebrioribūs jejunis carnem macerabat, quamvis ordinarius ejus victus ità comparatus fuerit, ut nihil ferè a jejunio differret; cibus etiam, quod magis obviūs, eò acceptior, & quod vilior, eò ſapidior ipſi, gratiōrque extitit. Idipſum obſervabat in ceteris utensilibus, ut potè, qui ne in ipſo quidem munere Prælati aliquid ad ſuum uſum admisit, quod non cuivis Ordinis Novitio concedi ſolet. Inter multas devotiones, quas obire confuevit, Cultus Parthenius erga Magnam DEI Matrem in eo præprimis eluxit, cujus parvum officium de Immaculata Conceptione præter alias complures preces quotidie perſolvit: Sabbatis autem, & in per vigiliis Festivitatum Gloriosiſſimæ Virginis DEIPARÆ laxatis pie tatis habenīs, tum publicè, tum privatim non pauca peregit po nitentiæ opera.

VI. Oratio mentalis, quâ mente ad DEUM ascendimus, unica fuit ejus animæ voluptas. Ad hanc ille, quæ inter noſtros tam manè, quam vespere unius horæ ſpatio in communi peragit, ſe pofitīs omnibūs aliis occupationibūs quantumviſ neceſſariis, pri muſ ſemper advolavit. Exuberabat ardor in vultu, index ejus, qui in corde latebat; in contemplanda Paſſione Domini Noſtri JESU CHRISTI ita absorbebat, ut tota mente in DEUM raptus eſſe videretur. Per eas integras horas in genibus hælit immo-

immobilis, licet esset exhausto corpusculo, & magnam virium imbecillitatem praefeferret, clausis oculis & elevata in DEUM mente Divina Mysteria contemplabatur. Inde pullulabant uberrimi virtutum fructus, quorum splendor se postea in omnibus actionibus cumulatissime prodidit; enituit enim in omnibus operibus ejus profundissima, quae in corde altas radices egerat, demissio, silentium, custodia sensuum, in adversis patientia, modestia in prosperis, aliaeque virtutes, quae effrenem passionum licentiam ab eo generosè domitam fuisse prolixè testabantur. Amor DEI & dilectio proximi in omnibus ejus gestis resplendebat, ut proinde tota ejus conversatio in coelis esse videretur.

1720.

VII. Tantis ille ornatus virtutibus ab Ordinis Majoribus primò in Poloniam destinatus fuit, ut recenter ibidem plantatam Sacri Ordinis nostri coloniam vitae suæ exemplis promoveret. Iter ingressus, cum die quarta mensis Octobris anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primò Viennam Austriæ pervenisset, novis mandatis in hac urbe subsistere jussus est. Obtemperavit ad omnem promptissimum obedientiam; nec multò post Novitiorum Magister renunciatus Ordinis tyrones, suæ curæ commissos, ad regularis vitae observationem, omnemque probitatem indefesso labore instituit. Sub idem tempus Illaviensis Conventus nostri fundatio ad stabilitatem pervenerat, cujus possessionem ut P. Josephus ab Angelis Commissarius Generalis adiret, eundem nostrum Josephum in Solum suum assumpsit, illumque postea ejusdem Conventus Præsidem in serie secundum creavit. In hoc officio Arcem Illaviensem cum viridario pro construendo Templo & Cœnobio impetravit, ut alibi fusi explicuimus. Struturam quoque Cœnobii incepit, eamque in finem procul dubio deduxisset, nisi suborti per Hungariæ Regnum tumultus conatum ejus intercepissent; quo tempore præter diuturnum exilium acerba multa sustinuit. Annis sequentibus, nempe hujus sæculi septimô, Viennensis nostri Collegii Minister creatus Ecclesiæ ejusdem fabricam plurimum promovit, ac memorabili felicitate pretiosissimum devotionis thesaurum, Imaginem videlicet CHRISTI Crucifixi, hodie etiamnum currentis e longinquó populi pietate, impetratis beneficiis, & miraculorum famâ celeberrimam, obtinuit. Exinde Redemptoris officium per continuum decennium ingenti approbatione administravit. Sæpius in hoc munere ad Principes Imperii & hereditarias Domus Austriacæ Provincias profectus multas pro captivis collegit eleemosynas, ubi særissimè ostiatim per domos, vel ad Ecclesiarum fores pro captivorum Redemptione subsidia corrogavit: quo ære deinde duas celebres & numerò captivorum suspiciendas Redemptiones peregit. In suis pro Redemptione captivorum peregrinationibus Ordinis propagationi simul solicite invigilavit: ejus sanè industria magna ex parte adscribenda veniunt Albæ Carolinensis Domus nostræ in Transilvania primordia. In postrema nunc pariter Redemptione ope Magni ad Portam Ottomannicam Oratoris ab Achmete III. Turcarum Sultano patentes Litteras impetravit, quarum virtute

Viennam ve-
nit an. 1691.Præses Illæ
vise
Arcem Illæ
viensem im-
petrat.Viennæ Mi-
nister.CHRISTI
Crucifixi Ima-
ginem obti-
nuit.Redemptor
captivorum.Duas perfec-
tas Redempcio-
nes.Eius indu-
stria dehen-
tetur Albæ Ca-
rolinæ & Con-
stantinopolis
fundaciones,

1720. nostris potestas facta est Constantinopoli Ecclesiam domumque condendi, ut de aliis favoribus & Privilegiis nihil loquar, quae in favorem Ordinis & Redemptionis ab Aula Ottomanica obtinuit. Cùm Peræ-Constantinopoli captivorum Redemptioni sedulè incumberet, anno hujus saeculi undevigesimo in Patrum Comitiis electus fuit per Austriam, Hungariam & Bohemiam Ordinis nostri Commissarius Generalis, quod tamen ille munus non nisi post annum & aliquot menses propter absentiam suam suscepit.

*Commissarius
Generalis.*

*Pragam visitat
Cœnobium,*

*Per Morava-
viagm transiit.*

*In Morbum
incidit.*

*Sepulturam
sibi exerat.*

*Sacramentis
coniuicis.*

Obit.

VIII. Inclinante Octobri Viennâ, ut diximus, Pragam profectus est pro officii sui ratione nostrum in ea urbe Cœnobium lustraturus. Rebûs ibidem rite constitutis Illaviam eadem de causa iter suscepit. Moraviam transiens apud Illustrissimos Barones Petivaldios, veteres Ordinis nostri Fautores ad castrum Buchloviense nonnihil subfistere decrevit. Die nona Decembris Stzrilecam (oppidum est eorundem Dynastarum) pervenit, ibidemque omnibus humanitatis officiis exceptus fuit. Sequenti nocte morbo colico oppressus gravissimè laborare coepit, acerbissimos tamen tormentum dolores in DEI voluntatem resignatus admirandâ patientia pertulit, ut ne conqueri quidem audiretur: interrogatus etiam, ut se haberet, benè sibi esse, & melius quam prius respondit. Cùm per tot labores, curas, & longinquas peregrinationes morbus in exhausto corpusculo, nihil proficientibus liberaliter suppeditatis pharmacis, quotidie ingravesceret, ex virium imbecillitate ac defectu mortem sibi imminere facile conjectit. Extremis itaque precibus poposcit, ut sibi in monte Sanctæ Barbaræ, Castro Buchloviensi vicino, ad ejusdem Sanctæ Virginis & Martyris sacram ædem aliquot terræ palmiculi pro corporis sui sepulta concesserentur. Quâ impetrata gratia mirificè consolatus se ad felicem obeundam mortem salutaribus mediis disposuit, cætera DEO commendavit. Demum die decima quinta ejusdem mensis Decembris sub noctem inter luculenta pœnitentiae signa sacram peregit exomologesim, sequenti verò luce a P. Secretario suo manè Missæ Sacrificium celebrante, cui ipse genibus semper innixus devotissimè adstitit, sacrum viaticum magna cum animi consolatione accepit, & non exiguum tempus in gratiis Divino Hospitali pro tanta dignatione persolvendis impedit. Interdiu, ut alias frequentius, ab Illustrissimo Barone visitatus, cum eodem de suis negotiis longum habuit sermonem, cui Medicus superveniens, cùm morbi nullum posset excogitare remedium, suasit, ut jam jam morituro extremæ unctionis Sacramentum ministraretur, quô non minore devotione percepto P. Secretarius Generalem eidem Absolutionem pro mortis articulo impertivit. Paucis post horis ad extrema redactus tertio quadrante post horam noctis decimam placidissimè exspiravit, omnibus de Optimi Patris jactura ingemiscientibus. Vixit, longiore vita dignus, annos non nisi novem & quinquaginta, menses novem, dies tres, e quibus in Religione ac DEI servitio septem & triginta consumpsit, postquam Commissarii Generalis muneri a suo in Austriam redditu præfuerunt mensibus ferè quinque.

IX. Die decima septima mensis Decembris æra campana 1720.
 Parochialis Templi tristi tinnitu suo Patris obitum evulgaverunt. Exequiæ in sequentem diem indictæ fuerunt, ad quas supra laudatus Baro Dynasta omnes Curiones ex tota vicinia litteris & nunciis convocavit. Accidit autem ea die res valde mirabilis, a multis etiam in prodigi locum accepta; etenim cùm feretrum frequentibüs facigeris utrumque circumfusum in publicum efferretur, Pavonum aliquis, quorum non modicus numerus tam Stzrilecæ, quām in aliis Illustrissimæ hujus Familiæ oppidis ob gentilitia Petivaldianæ stirpis Insignia, quæ hanc avem præferunt, nutritus, e numero suorum advolavit, & supra tumbam in aëre circumvolans, ac mœsta voce pupillans tandem in ipso feretro resedit. Insolitus hic evenus spectatores omnes tanto majore admiratione perfudit, quanto tenacius Pavo tumbæ inhæsit, a multis siquidem certatim abactus se locò moveri non priùs sustinuit, donec funebris pompa ultra decem passus progressa fuisset, tunc demum abigentium violentiæ impar, inde recessit, & ad cæteros pavones volavit.

X. Corpore tandem ad Stzrilecensem Ecclesiam delato solempnes Exequiæ, ad quas cohonestandas ingens cleri populique multitudo e tota vicinia confluxerat, celebratæ fuerunt, quibus absolutis curru impositum corpus, & versus Castrum Buchloviense ad montem S. Barbaræ, prout ipse in vivis postulaverat, unius miliaris itinere ad sepulturam avectum fuit, præcedente cruce Confraternitatis nostræ in eo loco institutæ. Cùm in conspectum Buchloviensis Castræ venissent ad signum explosi militaris tormenti æra campana in Parochiali Ecclesia, quæ multum indè distat, insonuerunt. Ad Statuam S. Joannis Nepomuceni Martyris delati, cum corpore tantisper stiterunt, donec funebris pompa ei recipiendo parata ritè ordinata fuisset. Tunc tandem feretrum in humeros bajulorum sublatum inter lugubrem phonascorum concentum, stipantibüs illud ex utraque parte duodecim daduchis, longoque Ecclesiasticorum & nobilium virorum agmine subsequente ad Ecclesiam S. Barbaræ Virginis & Martyris delatum, & in crypta ejusdem Ecclesiæ, ubi Petivaldiorum Baronum est sepultura, peculiari favore collocatum fuit. Huic postea accessit sequens epitaphium in exigua tabella scriptum: *Ex voto buc appositus jacet Venerabilis P. Josephus a JESU Maria, patria Madritensis, Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS Redemptionis captivorum per Austriam, Hungariam & Bohemiam Commissarius Generalis. Stzrileca obiit in Domino XVI. Decembris Annœ M. DCC. XX. Parentatum est Optimo Patri desideriis, suspiriis, precibüs. Fave, ac Piu Manibus ora requiem.*

Amen.

Dum efferetur
Pavo infedib
ejus tumbæ,

Exequiæ.

Sepelitur
Buchloviæ ad
S. Barbaram.

Epitaphium.



Yyyyyyy

ANNA-